MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80397-1

AUTHOR:

NEUMAN, ALBERT

TITLE:

DE NOTIONE 'MOIRAS' IN CARMINIBUS...

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

[1867]

Master Negative #
91-80397-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


Neuman, Albert, 1842-
De notione "μοίρας" in carminibus Homericis. Dissertatio inauguralis philologica quam scripsit et ... publice defendet Albertus Neuman ... Vratislaviae, typis F. W. Jungferi [1867]
39 p. 21½ cm.

Thesis, Breslau, 1867.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 12-26-91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202





Centimeter



Inches







R

TIONS

F

51



DE NOTIONE „ΜΟΙΡΑΣ“ IN CARMINIBUS HOMERICIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XIX. M. JULII A. MDCCCLXVII, HORA XI

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

ALBERTUS NEUMAN,

SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:

G. ENGLICH, DR. PHIL. E. HOFFMANN, CAND. PHIL.
G. KUEHN, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE.
TYPIS F. W. JUNGFERI.

VIRO ILLUSTRISSIMO

AUGUSTO ROSSBACH

PHILOSOPHIAE DOCTORI

LITERARUM ANTIQUARUM ET ELOQUENTIAE IN ACADEMIA VRATISLAVIENSI PROFESSORI

H. A. RECTORI MAGNIFICO

PRAECEPTORI DOCTISSIMO ET BENEVOLENTISSIMO

SACRUM.

PRAEFATIO.

Ut is, qui in grammatica Graeca studium operamque collocaturus est, ab Homero rite incipiendum sibi putabit, sic carmina ejus aliarum quoque disciplinarum, quae ad cognoscenda antiquissima Graecorum tempora pertinent, sunt fons praecipuus. Quare quum et scholis, quas habuit vir. Ill. Rossbach de mythologia et archaeologia Graeca, et legendis poetis Graecis virorumque recentioris aetatis doctissimorum de mythologia Graeca scriptis commotus caperem consilium disserendi de materia mythologica, de Μοίρᾳ Graecorum meditanti mihi quoque ab Homero initium faciendum intellexi. Ac si de re quidem difficillima disserenti mihi contingat, ut, quum multi doctissimique viri magnas nebulas jam disperserint, hinc vel illinc paullulum afferam lucis, valde gaudebo.

Denique facere non possum, quin gratias agam maximas praeceptori meo in his studiis de me bene merito, viro doctissimo Rossbach.

THESES.

I. Archaeologica studia, quae ad plane pernoscendum antiquitatis ingenium sunt necessaria, quod a majore philologorum parte negleguntur, valde dolendum est.

II. Assentiendum iis censeo, qui plebejos Romanos cum patriciis ab initio in tres tribus distributos curiatim in comitiis suffragia tulisse existimant.

III. Non recte comparantur Spartanorum ephori cum tribunis plebei Romanorum.

IV. In Aesch. Agam. v. v. 983 squ. Weilii et interpretationem et lectionem hanc comprobo:

χρόνος δ' ἐμοὶ πρυμνησίων ξυνεμβολαῖς
ψαμμίαισιν παρήβησεν, εὖθ' ὑπ' Ἴλιον
ὦρτο ναυβάτας στρατός —

et in antistropha:

εὔχομαι δ' ἐξ ἐμᾶς ἐλπίδος ψύθη πεσεῖν
ἐς τὸ μὴ τελεσφόρον·

Eorum, qui de μοίρας natura, qualis sit in carminibus Homericis, scripserunt, tria castra posita videmus, quorum prima defendunt ii, qui caecum et in mortales et in immortales dominans fatum, altera ii, qui subjectam Jovi, tertia ii, qui vagam quandam, quae mox sit inferior mox superior diis, vim esse μοῖραν existimant[1]); et horum quidem quasi signifer exstitit Naegelsbachius in libro suo: Die Homerische Theologie, sub titulo: Die Goetter und die Μοῖρα p. 120—148.

Sed accurate perpensis interque se comparatis omnibus locis persuasum habeo nullam harum sententiarum esse probabilem. Quare quum neque superior neque inferior Jove sit μοῖρα, neque incertum vagumque, quod modo dominetur in deos, modo ipsum regatur, numen, parem et eandem ac Jovis voluntatem et consilium esse illam colligi necesse est, quam sententiam primus Welcker proposuit in libro: »Griechische Götterlehre,« (cf. tom. I, p. 183—193 sub titulo: »Zeus im Verhältniss zur Aesa, Moera«), quamque ipse hac dissertatione illustraturus sum ita, ut et latius persequar, quod vir ille doctissimus obiter tantum tetigit, et afferam nonnulla, quibus ab eo dissentio.

Ac materiae dispositio quidem, quam sum secuturus in hac dissertatione, haec est, ut exponam:

I. quid significet μοῖρα,

II. quae ratio intercedat Jovi cum μοίρᾳ in mundo administrando.

---

[1]) cf. Naegelsb. »Homer. Theol.« p. 120 et 121 not.

I.

Quum derivetur vox μοῖρα ab radice μαρ, (εἵ-μαρ-ται, εἱ-μαρ-μένον) quae habet vim »tribuendi,« »partiendi,« nihil aliud significat, quod μέρος (pars, tributum), dicta de omnibus rebus, quae aut sensibus aut animo cernuntur; cf. in Il. 16, 68: χώρης ὀλίγην ἔτι μοῖραν ἔχοντες, in Od. 3, 40 et 20, 260 σπλάγχνων μοίρας, κρειῶν μοῖραν vel μοίρας in Od. 17, 258. 335; 3, 66; 20, 280. 281. 293; 8, 470; 14, 448 (ὃ δ' ἕζετο ᾗ παρὰ μοίρῃ), in Od. 4, 97 ὧν (κτεάτων) ὄφελον τριτάτην περ ἔχων ἐνδώμασι μοῖραν — ναίειν, in Od. 11, 534 μοῖραν (sc. praedae) καὶ γέρας ἐσθλὸν ἔχων ἐπὶ νηὸς ἔβαινεν, in Il. 10, 253: παρῴχηκεν δὲ πλέων νὺξ — τῶν δύο μοιράων, τριτάτη δ'ἔτι μοῖρα λέλειπται, in Il. 15, 195: τριτάτῃ ἐνὶ μοίρῃ (sc. mundi), in Od. 20, 171: οὐδ' αἰδοῦς μοῖραν ἔχουσιν sc. proci i. e. neque pudoris participes sunt, plane impudici sunt.

Eandem vim sibi vindicavit vox αἶσα; quae quum derivetur ab radice ισ (ἴσος vel ἶσος) proprie non, ut μοῖρα, significat »tributum« vel »partem« alicujus rei, sed aequi vim amplectitur, qualis occurrit nobis in formulis: κατ' αἶσαν ἐνείκεσας οὐδ' ὑπὲρ αἶσαν (cf. Il. 3, 59 et 6, 333) et κατ' αἶσαν εἰπεῖν cf. Il. 10, 445 et 17, 716: i. e. »secundum aequitatem vel ex aequo (aeque, juste) vituperasti neque supra vel contra aequum (inique, injuste),« ut nos dicimus: »nach Gebühr tadeln vel reden,« et in adjectivis αἴσιμος, ἐναίσιμος, ἐξαίσιος, ut αἴσιμα παρειπών in Il. 7, 121 ταῦτα μὲν αἴσιμα εἶπας in Od. 22, 46 et αἴσιμα εἰδέναι: aequa scire i. e. justo animo uti, in Od. 2, 231:

(230) μή τις ἔτι πρόφρων ἀγανὸς καὶ ἤπιος ἔστω
σκηπτοῦχος βασιλεύς, μηδὲ φρεσὶν αἴσιμα εἰδώς,
ἀλλ' αἰεὶ χαλεπός τ' εἴη καὶ αἴσυλα ῥέζοι (cf. Od. 5, 8 squ.)

in Od. 14, 433: περὶ γὰρ φρεσιν αἴσιμα ᾔδη (sc. συβώτης), in Il. 15, 207: ἐσθλὸν καὶ τὸ τέτυκται, ὅτ' ἄγγελος αἴσιμα εἰδῇ, similiter ἐναίσιμα νοεῖν in Od. 2, 122, ubi Antinous de Penelopa fraudis convicta dicit:

ἀτὰρ μὴν τοῦτό γ' ἐναίσιμον οὐκ ἐνόησεν, cf. in Od. 7, 299 squ. Alcinoi verba. Inde animus, qui aeque sentit, φρένες ἐναίσιμοι (cf. Od. 18, 220; Il. 24, 40; Od. 23, 14) vel νόος ἐναίσιμος (cf. Od. 5, 190), et vir, cui est justus animus, ἀνὴρ ἐναίσιμος

(cf. Od. 10, 383; Il. 6, 521; Od. 17, 363) appellatur. Jam vero multae aliae elocutiones huc referendae sunt, ut ἀμείνω ἐναίσιμα πάντα in Od. 7, 310, quae verba opposita sunt antecedentibus μαψιδίως κεχολῶσθαι; dicit enim haec Alcinous Ulixi: »Non eo sum animo, ut temere irascar, sed meliora, quaecunque aeque se habent, sunt« i. e. »melius est justo animo uti« (cf. Od. 15, 71), ut in Od. 14, 83 et 84 Eumaeus dicit de diis:

οὐ μὴν σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσιν,
ἀλλὰ δίκην τίουσι καὶ αἴσιμα ἔργ' ἀνθρώπων.

Itaque in Il. 24, 425 ἐναίσιμα δῶρα appellantur dona, quae dari diis aequum (fas) sit; in Od. 8, 347 squ. orat Neptunus Vulcanum, ut solvat Martem ex vinculis, et jam pergit:

ἐγὼ δέ τοι αὐτὸν (Martem) ὑπίσχομαι, ὡς σὺ κελεύεις,
τίσειν αἴσιμα πάντα μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν,

i. e. luet Mars, quae luere aequum (fas) est; cf. praeterea in Od. 17, 321 ἐναίσιμα ἐργάζεσθαι, in Od. 21, 294 αἴσιμα πίνειν i. e. bibere tantum, quantum est aequum i. e. temperanter, et in Il. 6, 519 οὐδ' ἦλθον ἐναίσιμον, ὡς ἐκέλευες i. e. non veni ea hora, qua aequum erat. Ut vero ἐναίσιμον significat id, quod aequum est, quod quasi intra fines aequi est positum, sic ἐξαίσιον est id, quod extra aequum positum est, quod est iniquum, ut dicit Penelopa de Ulixe in Od. 4, 690: οὔτε τινὰ ῥέξας ἐξαίσιον οὔτε τι εἰπὼν ἐν δήμῳ, cf. Il. 15, 598, ubi Thetidis precationem, quae, ut extinguerent Trojani Achivos, supplicaverat Jovi, poeta nominat ἐξαίσιον ἀρήν. In Od. 17, 577 ἐξαίσιον δείσας est is, qui magis, quam aequum est, timet, ut nos dicimus »über Gebühr«; significat igitur haec vox fere idem, quod ὑπὲρ αἶσαν (ὑπὲρ αἶσαν νεικεῖν).

Jam vero eandem, quam habet vox μοῖρα, vim αἶσα sibi vindicavit et ad res, quae aut sensibus aut animo cernuntur, relata aequam alicujus rei partem significat, ut ληΐδος αἶσαν in Il. 18, 327; in Od. 5, 40; 13, 138, ἐλπίδος αἶσα in Od. 19, 84.

Conferas praeterea Il. 15, 209, ubi Neptunus cum Jove se comparans dicit se ἰσόμορον καὶ ὁμῇ πεπρωμένον αἴσῃ, quae verba spectant ad aequas mundi partes, quas Saturno in Tartarum dejecto sortiti sunt Neptunus, Jupiter et Pluto (cf. v. v. 189—193).

Simili modo vox μοῖρα aequi notionem amplectitur, ut κατὰ μοῖραν εἰπεῖν respondet alteri elocutioni κατ'αἶσαν εἰπεῖν (αἴσιμα εἰπεῖν) cf. Il. 1, 286; 8, 146; 10, 169; 15, 206; 23, 626; 24, 379. Od. 2, 251; 3, 331; 4, 266; 7, 227; 8, 141. 496; ἐν μοίρῃ γὰρ πάντα διίκεο καὶ κατέλεξας in Il. 19, 186 et παρὰ μοῖραν εἰπεῖν in Od. 14, 509. Significat proprie κατὰ μοῖραν εἰπεῖν: dicere aliquid ita, ut sit certus ordo in sermone, cujus partes ita inter se sint conjunctae, ut altera alteram excipiat (Theil für Theil auseinander setzen vel der Reihe nach, nach einer gewissen Ordnung[1]) etwas sagen), ex quo facile est intellectu, quomodo congruat haec dicendi ratio cum altera illa κατ' αἶσαν εἰπεῖν; vertimus igitur utrumque: nach Gebühr reden, similiterque, quod dicit Ulixes Polyphemo, quum devorasset socios in Od. 9, 352: ἐπεὶ οὐ κατά μοῖραν ἔρεξας, vertendum est: »da du nicht nach Gebühr handeltest;« cf. ἐν μοίρῃ πέφαται in Od. 22, 54.

Intelligimus igitur, quum μοῖρα et αἶσα promiscue ad explicandas easdem res usurpentur, utramque vocem sibi vindicasse vim alterius, μοῖραν vim aequi, αἶσαν vim partis.

Jam vero ex generali utriusque vocis significatione prodit specialis, quae ad vitam pertinet. Credebat enim aetas illa omnia, quaecunque evenirent in vita sine mortalium opera, pro naturali rerum lege vel ordine aeque tributa esse hominibus, vitamque omnium, quum semper prodirent et exirent similia, in certis stabilibusque, quae, quum evanescerent omnia, manerent, legibus esse positam; quam sententiam imagine expressam edit poëta ita, ut persona indutam producat Μοῖραν vitae filum nentem in Il. 24, 209 squ., ubi Hecuba de Hectore mortuo dicit:

τῷ δ' ὥς ποθι Μοῖρα κραταιὴ
γιγνομένῳ ἐπένησε λίνῳ, ὅτε μιν τέκον αὐτή,
ἀργίποδας κύνας ἆσαι, ἑῶν ἀπάνευθε τοκήων
ἀνδρὶ πάρα κρατερῷ,

---

[1]) Haec hujus vocis significatio satis elucet ex his locis: ex Od. 9, 244: ἑζόμενος δ'ἤμελγεν ὄϊς καὶ μηκάδας αἶγας-πάντα κατὰ μοῖραν, ex Il. 19, 255: τοὶ δ'ἄρα πάντες ἐπ' αὐτόφιν εἵατο σιγῇ 'Αργεῖοι, κατὰ μοῖραν, ἀκούοντες βασιλῆος. cf. Od. 3, 457; Od. 8, 52—54; Il. 16, 367.

quocum loco conferas Junonis verba de Achille in Il. 20, 127 squ.:

ὕστερον αὖτε τὰ πείσεται, ἅσσα οἱ Αἶσα
γιγνομένῳ ἐπένησελίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ

et Alcinoi de Ulixe in Od. 7, 196 squ.:

ἔνθα δ'ἔπειτα
πείσεται, ἅσσα οἱ Αἶσα κατὰ Κλῶθές τε βαρεῖαι[1])
γιγνομένῳ νήσαντο λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ·

Scite de his locis Welcker dicit (cf. Griech. Götterl. I, p. 186): »Zu leiden, was die Moera, die Aesa oder die Mören dem Werdenden in den Faden gesponnen, dies Bild ist nicht aus einer fatalistischen Weltansicht entsprungen, sondern aus der Erkenntniss der natürlichen Verkettung der Umstände im Leben der Menschen.«

Filum enim, quod net Parca, est vita, Parca vero ipsa vitae lex vel justa perpetuaque conditio, quae omnium vitam quasi complectitur. Jam vero quum sit vita varia ita, ut aliorum alius sit cursus, sequitur, ut omnes vitae vicissitudines pro naturali lege vel ordine sint necessariae.

Ac primum quidem pro naturali lege omnia, quae sunt sub coelo et nascuntur et intereunt, totaque vita praeterit ita, ut sint res et secundae et adversae, laetitia et luctus, divitiae et paupertas et multa alia, sive bene sive male eveniunt, inter homines dispertita. Omnia haec aeque tributa hominibus ad μοῖραν vel αἶσαν referuntur.

Ac saepissime quidem in carminibus Homericis legem moriendi perpetuam perque totam naturam vigentem μοῖραν esse videmus, quam nemo possit effugere; cf. Od. 24, 28 squ., ubi dicit Achillis umbra umbrae Agamemnonis:

ἦ τ' ἄρα καὶ σοὶ πρῶτα παραστήσεσθαι ἔμελλεν
Μοῖρ' ὀλοή, τὴν οὔτις ἀλεύεται, ὅς κε γένηται,

et Minerva verba in Od. 3, 236 squ.:

ἀλλ' ἤ-τοι θάνατον μὲν ὁμοίϊον οὐδὲ θεοί περ

---

[1]) cf. ad hunc locum Naegelsb. Hom. Theol. p. 123 not. **). Κλῶθες hoc tantum loco commemorantur, Μοῖρα nusquam alibi nisi in Il. 24, 49, qui liber quum ob alias causas, tum propter Hectoris sepulturam, quae aliena est a ratione in Iliade inita, ab Homero est abjudicandus.

καὶ φίλῳ ἀνδρὶ δύνανται ἀλαλκέμεν, ὁππότε κεν δή
Μοῖρ' ὀλοὴ καθέλῃσι τανηλεγέος θανάτοιο,

cf. Il. 18, 117—119 et 464 squ. Eodem spectant, quae dicit Hector de lege illa in Il. 6, 487 squ.:

οὐ γάρ τίς μ' ὑπὲρ αἶσαν ἀνὴρ Ἄϊδι προϊάψει·
μοῖραν δ'οὔ τινά φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν,
οὐ κακόν, οὐδὲ μὲν ἐσθλόν, ἐπὴν τὰ πρῶτα γένηται.

Eadem ex Achillis verbis sententia mortis necessitatem esse omnium communem colligenda est, qui dicit mortem horrenti Lycaoni in Il. 21, 106 squ.:

ἀλλὰ φίλος θάνε καὶ συ. τίῆ ὀλοφύρεαι οὕτως;
κάτθανε καὶ Πάτροκλος, ὅ περ σέο πολλὸν ἀμείνων.
οὐχ ὁράᾳς, οἷος καὶ ἐγὼ καλός τε μέγας τε;
πατρὸς δ' εἴμ' ἀγαθοῖο, θεὰ δέ με γείνατο μήτηρ·
ἀλλ' ἔπι τοι καὶ ἐμοὶ θάνατος καὶ Μοῖρα κραταιή.

Quamobrem persaepe iis, quae ad horridam rapidamque mortis vim pertinent, attributis instruitur μοῖρα cumque voce »θάνατος« componitur; δυσώνυμος appellatur in Il. 12, 116, quum sit odiosa mortalibus mors, ὀλοή in Il. 21, 82, ubi dicit Lycaon mortem ab Achille praesagiens animo:

νῦν αὖ με τεῆς ἐν χερσὶν ἔθηκεν — Μοῖρ' ὀλοή·

similiter Patroclus moriens in Il. 16, 849 squ. dicit Hectori: ἀλλά με Μοῖρ' ὀλοὴ καὶ Λητοῦς ἔκτανεν υἱός, ἀνδρῶν δ'Εὔφορβος· (cf. vv. 806—813) σὺ δέ με τρίτος ἐξεναρίζεις. h. e. moriendi necessitas jam mihi venit ita, ut peream Apolline adjuvante per Euphorbum et te; cf. Il. 22, 5 squ.:

Ἕκτορα δ' αὐτοῦ μεῖναι ὀλοιὴ Μοῖρα πέδησεν
Ἰλίου προπάροιθε πυλάων τε Σκαιάων.

Haec verba ita intelligenda sunt, quasi dixisset poëta: mortis necessitas tum accessit Hectori ante Trojam. Pro his aliam dicendi rationem init: quum enim Hector ante Ilium Achillis manu caedatur, id quod copiose describitur in Iliadis libro XXII; naturalem moriendi legem persona induit poeta, quae quasi detineat illum extra muros, ut obviam eat Achilli.

Κραταιή appellatur μοῖρα propter mortis in omnes mortales dominationem in Il. 19, 409 squ., ubi Xanthus equus de Patroclo mortuo dicit Achilli:

οὐδέ τοι ἡμεῖς
αἴτιοι, ἀλλὰ θεός τε μέγας καὶ Μοῖρα κραταιή· (cf. vv. 411—414).

cf. Il. 5, 629: Τληπόλεμον — ὦρσεν ἐπ' ἀντιθέῳ Σαρπηδόνι Μοῖρα κραταιή (cf. v. 659).

θάνατος καὶ Μοῖρα κραταιή conjunguntur in Il. 5, 83:

τὸν δὲ κατ' ὄσσε
ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ Μοῖρα κραταιή (cf. Il. 16, 334 et 20, 477);

in Il. 16, 852: οὔ θην οὐδ' αὐτὸς δηρὸν βέῃ, ἀλλά τοι ἤδη
ἄγχι παρέστηκεν θάνατος καὶ Μοῖρα κραταιή (cf. 24, 132)

cf. Il. 21, 110.

Si mortis vox componitur his locis cum μοίρᾳ, specialis mortis notio per epexegesin additur notioni generali μοίρας; itaque haec dicendi ratio est eadem atque qua aliis locis utitur poëta: μοῖρ' ἀλοὴ θανάτοιο, ubi genitivus substantiae est θανάτοιο, quo explicatur accuratius, qualis sit μοῖρα, ut dicit Penelopa in Od. 2, 100 procis: differant nuptias, dum tunicam Laertis funebrem perfecerit, εἰς ὅτε κέν μιν — Μοῖρ' ὀλοή καθέλῃσι τανηλεγέος θανάτοιο (cf. Od. 19, 145; 24, 135; 3, 238); similiter de Argo cane dicit poëta in Od. 17, 326: Ἄργον δ' αὖ κατὰ Μοῖρα λάβεν μέλανος θανάτοιο. Conferas praeterea has locutiones: θάνατος καὶ μοῖρα κιχάνει in Il. 17, 478 et 672; 22, 436; νῦν αὖτέ με μοῖρα κιχάνει in Il. 22, 303 (cf. v. 300); θάνατος καὶ μοῖρα τέτυκται in Il. 3, 101 (cf. 18, 120 squ.); φόνος καὶ μοῖρα γένοντο (sc. equae Iphito) in Od. 21, 24 (cf. vv. 22—27).

Sed etiam sine attributis ad significandam mortem μοῖρα ponitur ita, ut ex sententiarum connexu, qualis sit, colligatur, ut in Od. 3, 269 squ.:

ἀλλ' ὅτε δή μιν Μοῖρα θεῶν ἐπέδησε δαμῆναι,
δὴ τότε τὸν μὲν ἀοιδὸν ἄγων ἐς νῆσον ἐρήμην
κάλλιπεν οἰωνοῖσιν ἕλωρ καὶ κύρμα γενέσθαι·

h. e. quum moriendi necessitas quasi devinxisset, ut obiret, vatem, quem, ut custodiret Clytaemnestram, reliquerat Agamemnon, in insulam ducens desertam avibus devorandum eum reliquit Aegisthus[1]).

[1]) Verba μιν-ἐπέδησε δα μῆναι de vate esse dicta et ex sen-

Conferas cum hoc loco Il. 4, 517, ubi simpliciter dicit poëta:

ἔνθ' Ἀμαρυγκεΐδην Διώρεα Μοῖρα πέδησεν (cf. vv. squ.),

quae dicendi ratio est eadem atque in Od. 22, 413:

τούσδε δὲ Μοῖρ' ἐδάμασσε θεῶν· cf. Il. 18, 119.

Aliis locis in mortem heroes ducens Μοῖρα intelligitur; cf. Il. 13, 602: τὸν (Πείσανδρον) δ'ἄγε Μοῖρα κακὴ θανάτοιο τέλοσδε σοί, Μενέλαε, δαμῆναι ἐν αἰνῇ δηιοτῆτι.

Similis sententia est in Il. 5, 613 squ.: ἀλλά ἑ Μοῖρα ἦγ' ἐπικουρήσοντα μετὰ Πρίαμόν τε καὶ υἷας (cf. vv. 615—621).

In Od. 11, 560 Ulixes in orco mortuo Ajaci dicit: τεΐν δ' ἐπὶ μοῖραν ἔθηκε h. e. tibi mortem tribuit Jupiter; hanc esse sententiam ex antecedentibus versibus colligitur (cf. vv. 553-560).

Similibus attributis αἶσα instruitur et cum mortis voce conjungitur, ut in Il. 24, 428 et 750 (ἐν θανάτοιό περ αἴσῃ); ἀργαλέῃ dicitur in Il. 22, 61, ubi orat Priamus Hectorem certamen cum Achille initurum, ut sui miseri misereatur, quem Jupiter in senectutis limine, postquam multa mala, filios, interfectos, filias in servitutem tractas totamque domum suam funditus eversam conspexerit, αἴσῃ ἐν ἀργαλέῃ φθίσει· κακή in Od. 19, 259:

τῷ ῥα κακῇ αἴσῃ κοίλης ἐπὶ νηὸς Ὀδυσσεύς
ᾤχετ' ἐποψόμενος Κακοΐλιον οὐκ ὀνομαστήν·

periturum enim Ulixem naves tum, quum proficisceretur Trojam, conscendisse judicat Penelopa (cf. vv. 257 et 258); αἶσα κακή quasi persona producitur in Od. 11, 61, ubi Elpenor, quum ebrius vino in Circes aedibus a scala delapsus cervices fregisset, Ulixi in orco interroganti, quomodo vitam amiserit, respondet: ἆσέ με δαίμονος αἶσα κακὴ καὶ ἀθέσφατος οἶνος.

‹entiarum connexu colligendum mihi videtur et, quod semper haec ‹cendi ratio in carminibus Homericis pertinet ad mortem (cf. Od. 18, 155 squ.). Quamobrem non recte Vossius et Passovius μιν pronomen ad Clytaemnestram referentes vertunt: »Nachdem sie der Götter Geschick zum Verderben verstrickte« (V.) vel: »das Geschick verstrickte sie, so dass sie überwunden ward, i. e. dass sie ihm (dem Aegisth) willfährig ward.« Praeterea haec formula: οἰωνοῖσιν ἕλωρ καὶ κύρμα γενέσθαι non nisi ad eos pertinet, qui jam mortui sunt. Vatem igitur mortuum jam esse necesse est, priusquam praeda avium fiat.

Sine attributis (in formula πάλαι πεπρωμένον αἴσῃ) ex sententiarum connexu αἶσα mortis significationem exhibet in Il. 16, 441 squ.:

ἄνδρα θνητὸν ἐόντα, πάλαι πεπρωμένον αἴσῃ,
ἂψ ἐθέλεις θανάτου δυσηχέος ἐξαναλῦσαι;

quae verba spectant ad vv. 433 squ.; verba πάλαι πεπρωμένον αἴσῃ [1]) per se nihil aliud significant, quam: jam dudum datum vel destinatum aequo (i. e. quod pati eum sit aequum); quale vero sit illud, quod pati sit aequum, ex sententiarum connexu intelligitur, et hoc quidem loco et ex verbis ἄνδρα θνητὸν ἐόντα et ex sequenti versu; interrogat igitur Juno Jovem: num virum mortalem (Sarpedonem) cui mors jam dudum (simul cum ortu) aeque tributa est, liberare ex ea vis? cf. Il. 22, 179 et vv. 174—176.

Ex his exemplis colligitur μοῖραν multo saepius quam αἶσαν usurpasse poetam ad significandam legem moriendi naturalem; quo accedit, quod μοῖρα multis locis persona induta inducitur. Nec vero Μοῖρα, etiamsi cum diis agens commemoratur, ut in Il. 16, 849; 19, 87 et 410, persona putanda est talis, qualis Jupiter vel alii, qui publice colebantur, dii, quum, si fuisset dea potens, pariter atque illi in cultum publicum recipi honoribusque divinis affici debuisset; sed nusquam in carminibus Homericis reperiuntur sacra et preces. Instruxit enim aetas illa nativa μοῖραν persona, veluti multos alios vitae status, quos semper valentes semperque redeuntes cognoscebat, quales sunt Ὄνειρος, Κῆρες, Ἄτη.

Quare si legimus: ἀλλά ἑ Μοῖρ' ἐδάμασσε vel Μοῖρα λάβεν, vel si dicitur Μοῖρα κραταιή vel ὀλοή, omnia haec attributa nihil aliud significant, quam si nos dicimus: ihn packt der Tod vel ein allgewaltiger, unerbittlicher Tod.

Eadem radice, qua μοῖρα, μόρος est ortus; partiendi igitur vim exhibet, ita tamen, ut non ad quarunlibet rerum significandam partem usurpetur, sed ad significanda ea, quae pro lege naturali tribuantur hominibus, mala. Itaque — et multo quidem saepius, quam αἶσα — mortis vim exhibet ita, ut mox cum voce »θάνατος« conjugatur, mox attributis, quae

---

[1]) ὁπποτέρῳ θανάτοιο τέλος πεπρωμένον ἐστίν in Il. 3, 309.

ad mortem pertinent, instruatur; θάνατόν τε μόρον τε conjunctos legimus in Od. 9, 61; οἱ δ'ἄλλοι φύγομεν θάνατόν τε μόρον τε; cf. Od. 11, 409; ubi dicit Agamemnon mortuus in orco: ἀλλάμοι Αἴγισθος τεύξας θανατόν τε μόρον τε | ἔκτα σὺν οὐλομένῃ ἀλόχῳ: cf. Od. 16, 421; 20, 241; κακός μόρος appellatur mors in Il. 21, 133, ubi vaticinatur perniciem Achilles omnibus Trojanis his verbis:

ἀλλὰ καὶ ὧς ὀλέεσθε κακὸν μόρον, εἰς ὅ κε πάντες
τίσετε Πατρόκλοιο φόνον καὶ λοιγὸν 'Αχαιῶν·

cf. Od. 1, 166 et Il. 24, 85 squ.

Simili in usu est οἶτος, quae vox, quum derivetur ab eadem radice, qua οἴσειν, οἴσεσθαι, οἰσθήσεσθαι, significat id, quod fertur vel evenit in vita; usurpatur vero non nisi ad significandam malam vitae conditionem vel mortem; cf. Od. 13, 384:

'Αγαμέμνονος 'Ατρεΐδαο
φθίσεσθαι κακὸν οἶτον ἐνὶ με γάροισιν ἔμελλον

et in Il. 3, 417: σὺ δέ κεν κακὸν οἶτον ὄληαι.

Sine attributo pro morte οἶτος positus est in Il. 24, 388, ubi dicit Priamus de Hectore mortuo Mercurio:

καλὰ τὸν οἶτον ἀπότμου παιδὸς ἔνισπες (cf. vv. 384 et 385).

Saepius haec formula ad significandam legem moriendi naturalem redit: κακὸν οἶτον ἀναπλῆσαι, cf. in Il. 8, 33 squ. Minervae verba: ἀλλ' ἔμπης Δαναῶν ὀλοφύρομεθ' αἰχμητάων,
οἵ κεν δὴ κακὸν οἶτον ἀναπλήσαντες ὄλωνται,

h. e. quicunque jam, quod male obvenire hominibus pro lege naturali est necesse, implentes, i. e. supremum diem obeuntes moriuntur (cf. vv. 354 et 465). Idem fere significat altera formula κακὸν οἶτον ἐπισπεῖν i. e. mortem consequi in Od. 3, 134.

Cum his formulis conferas alias, quae saepius etiam occurrunt in carminibus Homericis idemque significant: πότμον ἐπισπεῖν vel θάνατον καὶ πότμον ἐπισπεῖν, θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν, πότμον ἀναπλῆσαι [1]); πότμον ἐπισπεῖν in Il. 6, 412, 22, 39;

---

[1]) πότμος ab radice πετ, qualis est in verbo πίπτω (πιπέτω) derivatus, proprie significat id, quod accidit in vita; similiter vero atque οἶτος usurpabatur ad significandam malam vitae conditionem, inprimis mortem; cf. Naegelsb. Hom. Theol. p. 126, 3 b.

21, 588; in Od. 3, 16; 4, 714; 11, 372; 24, 471; ἀεικέα πότμον ἐπισπεῖν in Od. 2, 250; 22, 317 et 416; θάνατον καὶ πότμον ἐπισπεῖν in Il. 2, 359; 15, 495; 20, 337; in Od. 24, 31; θανεῖν καὶ πότμον ἐπισπεῖν in Od. 4, 196 et 561; 5, 308; 11, 389; 12, 342; 14, 274; in Il. 7, 52; quibuscum locis conferas Ulixis matris verba in orco in Od. 11, 197: ὀλόμην καὶ πότμον ἐπέσπον· praeterea πότμον ἀναπλήσαντες ἔδυν δόμον ῎Αϊδος εἴσω legimus in Il. 11, 263 et εἴ κε θάνῃς καὶ πότμον ἀναπλήσῃς βιότοιο in Il. 4, 170 h. e. si mortuus eris et id, quod vitae obvenire necesse est, impleveris (i. e. supremum diem obieris); cf. ad omnes hos locos ea, quae p. 7 diximus de »θάνατος καὶ μοῖρα«; jam vero ἀεικής πότμος in formula ἀεικέα πότμον ἐφιέναι (cf. Il. 4, 396; Od. 4, 339 et 340; 17, 130 et 131; 19, 550) respondet κακῷ οἴτῳ, κακῷ μόρῳ; denique πότμος sine attributo pariter atque οἶτος mortis significationem exhibet in Il. 18, 96, ubi Thetis dicit Achilli:

(v. 95) ὠκύμορος δή μοι, τέκος, ἔσσεαι, οἷ' ἀγορεύεις·
αὐτίκα γάρ τοι ἔπειτα μεθ' ῞Εκτορα πότμος ἑτοῖμος

(cf. vv. squ.).

Ex his igitur exemplis satis superque intelligimus amplecti μοῖραν et αἶσαν earumque synonyma mortis significationem, quum sit mortis necessitas aeque tributa omnibus. Hinc fit, ut μόρσιμον ἦμαρ vel αἴσιμον ἦμαρ significet mortis diem, qui serius ocius omnibus pro rerum justo ordine tribuitur; cf. Il. 14, 612 squ.: μινονθάδιος γὰρ ἔμελλεν
ἔσσεσθ'· (῞Εκτωρ) ἤδη γάρ οἱ ἐπώρνυε μόρσιμον ἦμαρ
Παλλὰς 'Αθηναίη ὑπὸ Πηλεΐδαο βίηφιν.

In Od. 10, 174 squ. dicit Ulixes sociis:

ὦ φίλοι, οὐ γάρ πω καταδυσόμεθ' ἀχνύμενοί περ
εἰς 'Αΐδαο δόμους, πρὶν μόρσιμον ἦμαρ ἐπέλθῃ·

h. e. non prius moriemur, quam dies mortis pro justo rerum ordine tributus nobis venerit.

Idem fere dicit hoc loco Ulixes, quod Hector Andromachae in Il. 6, 487: οὐ γάρ τίς μ'ὑπὲρ αἶσαν ἀνὴρ ῎Αϊδι προϊάψει. cf. praeterea Od. 16, 280: δὴ γάρ σφι (procis) παρίσταται αἴσιμον ἦμαρ, Il. 8, 72: ῥέπε δ' αἴσιμον ἦμαρ 'Αχαιῶν (cf. vv. 70 et 71), Il. 22, 212, et Il. 21, 100: ἐπισπεῖν αἴσιμον ἦμαρ.

Jam vero omnia, quaecunque aut bene aut male pro

justo rerum ordine in vita evenire necesse sit, ad μοῖραν vel αἶσαν referuntur.

Itaque mala, quae eveniunt in vita, pari modo ac mors appellantur κακή αἶσα; cf. Il. 1, 414, ubi dicit Thetis Achilli:

ὤ μοι, τέκνον ἐμόν, τί νύ σε τρέφον αἰνὰ τεκοῦσα;
εἴθ' ὄφελες παρὰ νηυσὶν ἀδάκρυτος καὶ ἀπήμων
ἦσθαι, ἐπεί νύ τοι αἶσα μίνυνθά περ, οὔτι μάλα δήν.
νῦν δ' ἅμα τ' ὠκύμορος καὶ ὀϊζυρὸς περὶ πάντων
ἔπλεο· τῷ σε κακῇ αἴσῃ τέκον ἐν μεγάροισιν.

Similiter κακήν αἶσαν dicit Pandarus in Il. 5, 209, quod arcus, quo fretus venerit Trojam, nil se juvet in pugna adversus Argivos (cf. vv. 204—208); in Il. 22, 477 Andromachae verba haec sunt:

῞Εκτορ, ἐγὼ δύστηνος. ἰῇ ἄρα γίγνομεθ' αἴσῃ ἀμφότεροι· (i. e. κακῇ αἴσῃ) cf. vv. 482—484.

Itaque mala, quae est passus cum sociis apud Cicones, Ulixes in Od. 9, 52 refert ad κακὴν Διὸς αἶσαν his verbis: τότε δή ῥα κακὴ Διὸς αἶσα παρέστη ἡμῖν αἰνομόροισιν, ἵν' ἄλγεα πολλὰ πάθοιμεν·

In Od. 11, 292 squ. vatis malam conditionem, qui, quum Nelei filiam ducturus Iphicli boves rapere conaretur, in vincula conjectus annum peregit, poëta hoc modo describit: χαλεπὴ δὲ θεοῦ κατὰ μοῖρα πέδησεν, | δεσμοί τ' ἀργαλέοι καὶ βουκόλοι ἀγροιῶται.

Aliis locis mala vitae conditio appellatur κακός μόρος vel κακός οἶτος, ut in Il. 6, 357, ubi Helena de se et Paride dicit: οἷσιν ἐπὶ Ζεὺς θῆκε κακὸν μόρον, ὡς καὶ ὀπίσσω ἀνθρώποισι πελώμεθ' ἀοίδιμοι ἐσσομένοισιν.

In Od. 11, 618 Hercules Ulixis vagam vitam dicit κακὸν μόρον, quocum conferas Δαναῶν κακὸν οἶτον in Od. 1, 350, 'Αχαιῶν οἶτον in Od. 8, 489 squ. et 578 et quod legimus in Il. 9, 563, quo loco Marpessae mala conditio, quae, quum erepta marito suo in Apollinis esset potestate, semper flebat, comparatur cum flebilibus alcedinis modis, id quod dicit poëta ἀλκυόνος πολυπενθέος οἶτον ἔχουσα.

Hinc fit, ut saepe iis, qui sunt in mala vitae conditione, addatur attributum »δύσμορος«; δύσμορος igitur est is, cui pro aequo rerum ordine vel lege naturali mala sunt tributa; cf.

Od. 1, 48 squ.: ἀλλά μοι ἀμφ' 'Οδυσῆι δαΐφρονι δαίεται ἦτορ
δυσμόρῳ, ὅς δὴ δηθὰ φίλων ἄπο πήματα πάσχει
νήσῳ ἐν ἀμφιρύτῃ· cf. Od. 7, 270 squ. et Od. 20, 194 squ.; Od. 24, 290 squ. et 311; Od. 16, 139—145; Il. 22, 60.

In Il. 22, 481 Andromacha patrem dicit δύσμορον, quum se αἰνόμορον genuerit, i. e. αἰνὸν μόρον ἔχουσαν (propter viduitatem, cf. Od. 9, 53 et 24, 169).

Similiter κάμμορος (= κακ[ό]μορος) Ulixes saepe in Odyssea vocatur propter errores et dolores (cf. Od. 5, 160 et 339; 2, 351; 11, 216; 20, 33). In Il. 22, 485 et 24, 727 Andromacha se (viduam) et Hectorem (mortuum) δυσαμμόρους (=δυσ-α-μόρους) dicit (proprie: plane omnis vitae partis expertes), quae est superlata dicendi ratio ad significandam miserrimam vitae conditionem; cf. Il. 19, 315; Il. 22, 428; 24, 773.

Similiter ἄποτμος et πανάποτμος usurpatur, cf. Od. 1, 219, ubi dicit Telemachus se esse filium ejus, ὃς ἀποτμότατος γένετο θνητῶν ἀνθρώπων, et idem in Od. 20, 140 comparatur cum tali, qualis sit πάμπαν ὀϊζυρὸς καὶ ἄποτμος· in Il. 24, 255 squ. Priamus se dicit πανάποτμον, quod multos filios praeclaros amiserit (cf. vv. 493 squ.)

Jam vero quum μοῖρα, αἶσα, μόρος per se malam vitae conditionem vel mortem non significent, sed id, quod pro lege naturali aeque tribuatur, quod, quale sit, semper ex sententiarum connexu intelligitur, persaepe ea, quae eveniunt in maxime variis vitae conditionibus, sive bona sive mala ab hominibus existimantur, his formulis significantur: μοῖρα vel αἶσα vel μόρος ἐστί, μόρσιμον vel αἴσιμόν ἐστι, εἵμαρτο cum sequenti infinitivo quo, quale sit id, quod aeque tribuatur, explicatur, ut mortis aequa necessitas significatur saepe hoc modo: μοῖρα (sc. ἐστι) vel αἶσα etc. δαμῆναι, ἀπολέσθαι θανεῖν etc.; cf. Il. 23, 80, ubi vaticinatur Patrocli mortui umbra Achilli: καὶ δὲ σοὶ αὐτῷ μοῖρα, θεοῖς ἐπιείκελ' 'Αχιλλεῦ, | τείχει ὕπο Τρώων εὐηφενέων ἀπολέσθαι. cf. in Od. 8, 511 αἶσα γὰρ ἦν ἀπολέσθαι (sc. Trojanis) et Xanthi verba in Il. 19, 417: ἀλλὰ σοὶ αὐτῷ-μορσιμόν ἐστι θεῷ τε καὶ ἀνέρι ἶφι δαμῆναι et Achillis responsum in v. v. 420—422; cf. Il. 16, 434; 21, 291; in Od. 24, 34 Achilles in orco Agamemnoni mortuo dicit: νῦν δ' ἄρα σ' οἰ-

κτίστῳ θανάτῳ εἵμαρτο ἁλῶναι (cf. Il. 21, 281 et Od. 5, 312).

Sciunt quidem homines pro lege naturali sibi esse moriendum; qualis vero aut quando sit ventura mors, nesciunt, unde fit, ut interdum ὑποθετικῶς pronuncietur mortis necessitas, ut in Il. 17, 421 Trojani quidam de Patrocli cadavere pugnaturi cum Achivis dicunt ante certamen:

ὦ φίλοι, εἰ καὶ μοῖρα παρ' ἀνέρι τῷδε δαμῆναι
πάντας ὁμῶς, μή πώτις ἐρωείτω πολέμοιο,

et Priamus in castra Argivorum, ut filium redimat, profecturus in Il. 24, 224: εἰ δέ μοι αἶσα | τεθνάμεναι παρὰ νηυσὶν 'Αχαιῶν χαλκοχιτώνων, | βούλομαι. cf. Od. 9, 244—246.

Neque mirum est, si Mars, quamvis sit deus immortalis, Jovis iram timens dicit in Il. 15, 117 squ.:

εἴ πέρ μοι καὶ μοῖρα Διὸς πληγέντι κεραυνῷ
κεῖσθαι ὁμοῦ νεκύεσσι μεθ' αἵματι καὶ κονίῃσιν·

transfert enim poëta, quum aetas illa deos non nisi similes hominibus proponere animo posset, humana in divina; itaque Martem verba illa dicentem facit, quamquam credit deos moriendi legi non esse subjectos, ut dicit de Venere vulnerata in Il. 21, 495: οὐδ' ἄρα τῇ γε ἁλώμεναι αἴσιμον ἦν (cf. Il. 22, 13).

Simili modo mala et, quaecunque alia pro rerum justo ordine in vita evenire necesse sit, his formulis significantur; cf. Od. 5, 206 squ. ubi dicit Calypso Ulixi:

εἰ μὴν εἰδείης σῇσιν φρεσὶν ὅσσα τοι αἶσα
κήδε' ἀναπλῆσαι πρὶν πατρίδα γαῖαν ἱκέσθαι etc.,

et Od. 13, 306: ὅσσα τοι αἶσα δόμοις ἔνι ποιητοῖσιν
κήδε' ἀνασχέσθαι.

In Od. 15, 276 Theoclymenus profugus domo dicit Telemacho:

φεύγω, ἐπεί νύ μοι αἶσα κατ' ἀνθρώπους ἀλάλησθαι.

Felix bonusque autem vitae status his locis indicatur: in Od. 5, 41 Jupiter dicit de Ulixe:

ὣς γάρ (i. e. multis divitiis onusto) οἱ μοῖρ' ἐστὶ φίλους ἰδεέιν καὶ ἱκέσθαι
οἶκον ἐς ὑψόροφον καὶ ἑὴν ἐς πατρίδα γαῖαν. cf. Od. 5, 114; Od. 9, 531; 4, 475; 23, 315. De eodem in Od. 5, 288 legimus:

καὶ δὴ Φαιήκων γαίης σχεδόν, ἔνθα οἱ αἶσα
ἐκφυγέειν μέγα πεῖραρ ὀϊζύος ἥ μιν ἱκάνει cf. v. 345;

similiter Neptunus in deorum concione de Aenea dicit in Il. 20, 302: μόριμον δέ οἵ ἐστ' ἀλέασθαι,
ὄφρα μὴ ἄσπερμος γενεὴ καὶ ἄφαντος ὄληται — Δαρδάνου.

Melampus, quum esset solutus vinculis Iphicli, Argos venit: τόθι γάρ νύ οἱ αἴσιμον ἦεν
ναιέμεναι πολλοῖσι ἀνάσσοντ' 'Αργείοισιν (cf. Od. 15, 239).

Quod vero est par vel aequum pro rerum ordine aut pati aut assequi alios, id aliis renuitur, ut legimus in Il. 5, 674:

οὐδ' ἄρ' 'Οδυσσῆι μεγαλήτορι μόρσιμον ἦεν .
ἴφθιμον Διὸς υἱὸν ἀποκτάμεν ὀξέϊ χαλκῷ,

id quod Patroclo μόρσιμον ἦν, cf. Il. 16, 433 et 434; et quod assequi neque Patroclum neque Achillem aequum erat pro rerum ordine: πόλιν πέρθαι Τρώων ἀγερώχων (cf. Il. 16, 707), id alios Achivos assecutos esse legimus in Od. 8, 511 squ.

Cur vero tam variae sint vitae conditiones, cur sit necesse alios esse divites, alios pauperes, alios grandi, alios brevi aetate, alios saevam, alios placidam mortem obire, de hac re non cogitat aetas illa, sed id tantum cognovit esse in vita rebusque legem justam semper vigentem, pro qua mors, mala, bona omnesque vitae eventus, qui non penderent ex libera hominum voluntate, prodirent cumque vita humana essent conjuncta.

II.

Quum igitur sit μοῖρα vel αἶσα lex naturalis vel aequa conditio, quae viget in rebus vitaque humana, simul cum mundo ortam eam esse necesse est; jam vero quum mundus non a Jove neque a ceteris diis, sed ante deos sit ortus, diique ipsi in eo, sequitur, ut μοῖρα fuerit ante deos, qui sunt profecti ab Oceano (cf. Il. 14, 201 et 246). Quamobrem non recte Welcker disputare mihi videtur, si dicit Griech. Götterl. I. p. 186 sub fin: »Aber nicht selbständig ist diese Möra oder Aesa, sondern aus Zeus ist sie, und es ist nur zufällig, dass wir sie nicht auch Tochter des Zeus genannt finden.«

Primum enim in mundo regnabant Titanes, rudes naturae vires, quorum summus erat Saturnus; quibus in Tartarum de-

jectis (cf. Il. 8, 477—481 et 14, 279) Jupiter cum fratribus patris regnum divisit (cf. Il. 15, 187—193) ita, ut ipse summum mundi imperium susciperet. Jam igitur Jovis consilio et voluntate omnia administrantur. Qua in mundi administratione quam rationem legum, quae jam vigebant ante Jovem naturalium habuerit Jupiter, est quaerendum.

Quum agnovisset esse aequas in rebus leges, his ipsis, qua est ipse justitia, usus est fundamento, quibus regeret mundum.

Jovis igitur consilium et voluntas consentiunt cum μοίρᾳ h. e. cum justis rerum legibus.

Ac primum quidem, id quod maximo est argumento, nonnullis locis poëta μοῖραν vel αἶσαν Διός vel θεῶν vel δαίμονος dicit; cf. *Od. 9, 52* squ.:

τότε δή ῥα κακὴ Διὸς αἶσα παρέστη
ἡμῖν αἰνομόροισιν, ἵν' ἄλγεα πολλὰ πάθοιμεν

h. e. Jupiter multos dolores nobis tribuit, quos pro aequo rerum ordine, quem ipse custodit, nos pati necesse erat. cf. *Il. 9, 608* squ.:

φρονέω δὲ τετιμῆσθαι Διὸς αἴσῃ,
ἥ μ' ἕξει παρὰ νηυσὶ κορωνίσιν εἰς ὅ κ' ἀϋτμή
ἐν στήθεσσι μένῃ καί μοι φίλα γούνατ' ὀρώρῃ.

Jam vero si commemoratur aliis locis μοῖρα θεῶν vel θεοῦ μοῖρα vel δαίμονος αἶσα, nihil aliud intelligi vult poëta, quam quod alias dicit Διὸς αἶσαν. Quum enim sit Jupiter πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, penes quem summa in deos est potestas, cuique, quotquot sunt dii, nullus potest resistere (cf. Il, 1, 565—567; 8, 31 et 32; 15, 104—109), omnia ceterorum deorum consilia aut cum Jovis voluntate consentire aut ex ea prodire necesse est.

Sed quum nativa illa aetas deos in mundo natos animo nullo alio modo proponere posset, quam humano et corpore et ingenio praeditos tali, quali mundum regere possent, perfacile est intellectu etiam res suas gerere humano more eos esse creditos. Ac Jovis quidem in deos imperium tale fere est, quale patris familias in suos. Quanto enim est major et natu et potentia, suo arbitrio subjectos habet reliquos deos. Jam vero veluti saepe fratres fratri, cujus sunt in tutela,

uxorque marito obsistunt patrisque familias voluntatem et jussa subvertere et detrectare student, sic dii saepe reluctantur Jovis consiliis. Jupiter vero, quando animadvertit, quid injusti dii aut perfecerint aut sint perfecturi, componit omnia ita, ut suis consiliis sint consentanea. Hinc una quasi deorum oritur voluntas, quae, quum prodeat ex Jove, aliorum deorum consilia complectitur. Itaque et Jovi et reliquis diis supplicare homines videmus in Il. 13, 818 et aliis locis, neque quidquam interest, utrum supplicent Jovi an omnibus diis, ut in Od. 21, 200 — 202 precatur a Jove bubulcus, ut redeat Ulixes, idemque ab omnibus diis Eumaeus in vv. 203 squ.; satis enim est supplicare homines Jovi soli. Quamobrem multis aliis locis pro Jove deos et pro diis Jovem appellari videmus[1]); cf. Il. 16, 119:

γνῶ δ' Αἴας κατὰ θυμὸν ἀμύμονα, ῥίγησέν τε,
ἔργα θεῶν, ὅ ῥα πάγχυ μάχης ἐπὶ μήδε' ἔκειρεν
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, Τρώεσσι δὲ βούλετο νίκην.

Hinc igitur fit, ut Διὸς αἶσα sit eadem atque μοῖρα θεῶν; cf. Od. 3, 269: ἀλλ' ὅτε δή μιν Μοῖρα θεῶν ἐπέδησε δαμῆναι, et Od. 22, 413 τούσδε δὲ Μοῖρ' ἐδάμασσε θεῶν. Similiter poëta in Od. 11, 292 dicit: χαλεπὴ δὲ θεοῦ κατὰ μοῖρα πέδησεν· θεοῦ μοῖρα nulla est alia, quam Διὸς αἶσα et μοῖρα θεῶν; cf. Od. 11, 61: ἆσέ με δαίμονος αἶσα κακή. Persaepe enim Jupiter κατ' ἐξοχήν appellatur: ὁ θεός vel δαίμων[2]). Itaque ὑπὲρ θεόν idem est atque ὑπὲρ αἶσαν vel ὑπὲρ μόρον; cf. Il. 17, 327 ubi incitat Apollo Aeneam: Αἰνεία, πῶς ἂν καὶ ὑπὲρ θεὸν εἰρύσσαισθε — Ἴλιον αἰπεινήν; deus enim, contra cujus consilium Aeneas Ilium servare jubetur, est Jupiter ipse, ita ut sit ὑπὲρ θεόν idem, quod ὑπὲρ Διὸς αἶσαν in v. 321; ac quum queratur Jupiter de hominibus in deorum concione in Od. 1, 32 squ.:

ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται·
ἐξ ἡ μ έ ω ν γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι, οἳ δὲ καὶ αὐτοί
σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑ π ὲ ρ μ ό ρ ο ν ἄλγε' ἔχουσιν,

---

1) cf. de hac re Naegelsb. Hom. Theol. III. 5b p. 128 et 129; Welck, Gr. Götterl. p. 179—181 quae dicit sub tit.: »Zeus der Menschen sowohl als der Götter Vater.«

2) cf. exempla, quae affert Welck. ibid. p. 180 sub fin. et p. 181.

voces ὑπὲρ μόρον oppositae sunt vocibus ἐξ ἡμέων; sententia enim haec est: non a nobis oriuntur mala hominibus, sed invitis nobis perpetiuntur dolores sua ipsorum superbia. Dicere igitur hoc loco potuit poëta pro ὑπὲρ μόρον, id quod saepe nobis occurrit: θεῶν ἀέκητι (cf. Il. 12, 8; 15, 720; Od. 3, 28; 4, 504), ut aliis locis »θεῶν ἰότητι« componi potest cum μοίρᾳ vel αἴσῃ; cf. h. in Ven. 167:

ὁ δ' ἔπειτα θεῶν ἰότητι καὶ αἴσῃ
ἀθανάτῃ παρέλεκτο θεᾷ βροτός·

In Od. 7, 214 quod dicit Ulixes de malis suis:

ὅσσα γε δὴ ξύμπαντα θεῶν ἰότητι μόγησα

(cf. 14, 198; 12, 190; 17, 119) compares cum verbis Calypsus in Od. 5, 206:

εἰ μὴν εἰδείης σῇσιν φρεσὶν ὅσσα τοι αἶσα
κήδε' ἀναπλῆσαι πρὶν πατρίδα γαῖαν ἱκέσθαι.

In Il. 19, 9 Thetis dicit de Patroclo: θεῶν ἰότητι δαμάσθη, in Il. 16, 849 autem Patroclus ipse:

ἀλλά με Μοῖρ' ὀλοὴ καὶ Λητοῦς ἔκτανεν υἱός.

Idem, quod θεῶν ἰότητι, significat σὺν θεῷ et οὐκ ἀθεεί; cf. Od. 18, 353:

οὐκ ἀθεεὶ ὅδ' ἀνὴρ 'Οδυσήϊον ἐς δόμον ἵκει

et Il. 9, 49: ξὺν γὰρ θεῷ εἰλήλουθμεν, id quod aliis locis μόρσιμον ἐλθεῖν appellatur, ut in Od. 16, 392:

ἣ δέ κ' ἔπειτα
γήμαιθ' ὅς κεν πλεῖστα πόροι καὶ μόρσιμος ἔλθοι (cf. 21, 162).

Jovis deorumque consilia, quamvis sint ignota hominibus, tamen quodammodo ab his cognoscuntur oraculis signisque divinis, ut dicit Polyphemus oculis ab Ulixe privatus in Od. 9, 507: ὢ πόποι, ἦ μάλα δή με παλαίφατα θέσφαθ' ἱκάνει.

Sunt vero παλαίφατα θέσφατα prisca Polyphemo a vate dicta deorum fata, quorum summa haec est: lumine aliquando privatum iri Polyphemum (cf. v. 512); cf. cum hoc loco Od. 13, 172 squ.; Od. 11, 151 et 297; 12, 155; Il. 5, 64. Idem significant θεοπροπίη et θεοπρόπιον, ut Calchas Apollinis oraculum edere jubetur in Il. 1, 85 et 87; cf. 1, 385; 6, 438. Od. 1, 415.

Quae vero decreta in concione dii effantur hominibus, ea congruere μοίρᾳ facile colligitur ex eo, quod formula θέσφατόν

ἐστι pro μόρσιμον vel αἴσιμόν ἐστι ad significandas easdem res usurpatur[1]).

Scite Welcker I, p. 188 monet: ut res in Iliade narratae Jovis consilio, sic in Odyssea pro divino fato (θέσφατον) omnia perficiuntur; jam cf. Od. *10, 472* squ., ubi dicunt socii Ulixi:

δαιμόνι', ἤδη νῦν μιμνήσκεο πατρίδος αἴης,
εἴ τοι θέσφατόν ἐστι σαωθῆναι καὶ ἱκέσθαι
οἶκον ἐς ὑψόροφον καὶ σὴν ἐς πατρίδα γαῖαν
(cf. Od. 1, 76 et 81—87)

cum *Od. 5, 41* squ., ubi dicit Jupiter de eodem:

ὣς γάρ οἱ μοῖρ' ἐστὶ φίλους ἰδέειν καὶ ἱκέσθαι
οἶκον ἐς ὑψόροφον καὶ ἑὴν ἐς πατρίδα γαῖαν,
(cf. vv. 114 squ.; Od. 4, 475; 9, 531 squ.)

et cum *Od. 5, 288*, ubi queritur Neptunus, quod jam sit Ulixes prope Phaeaces, ἔνθα οἱ αἶσα | ἐκφυγέειν μέγα πεῖραρ ὀϊζύος ἥ μιν ἱκάνει.

In *Od. 4, 561* squ. legimus:

σοὶ δ' οὐ θέσφατόν ἐστι, διοτρεφὲς ὦ Μενέλαε,
Ἄργει ἐν ἱπποβότῳ θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν,

in *Il. 7, 52* οὐ γάρ πώ τοι μοῖρα θανεῖν καὶ πότμον ἐπισπεῖν.

Ex his exemplis jam satis elucet esse θέσφατον idem, quod μόρσιμον; cf. praeterea Il. 8, 473—477:

οὐ γὰρ πρὶν πολέμου ἀποπαύσεται ὄβριμος Ἕκτωρ
πρὶν ὄρθαι παρὰ ναῦφι ποδώκεα Πηλείωνα
(ἤματι τῷ ὅτ' ἂν οἳ μὲν ἐπὶ πρύμνῃσι μάχωνται
στείνει ἐν αἰνοτάτῳ περὶ Πατρόκλοιο πεσοντος)
ὣς γὰρ θέσφατόν ἐστι i. e. μόρσιμόν ἐστι

cf. verba morientis Patrocli in Il. 16, 851—854.

Simili modo in Il. 11, 794 squ. Nestor Achilli θέσφατον esse conjicit abstinere a certamine his verbis:

εἰ δέ τινα φρεσὶ ᾗσι θεοπροπίην ἀλεείνει
καὶ τινά οἱ πὰρ Ζηνὸς ἐπέφραδε πότνια μήτηρ (cf. Il. 16, 36 squ.),

id quod Achilles ipse Διὸς αἶσαν dicit in Il. 9, 608 squ.

Sed non solum ex fatis divinis (θέσφατα), sed etiam ex signis divinis vel ominibus, quae a Jove proficiscuntur, deorum consilia et voluntas cognoscuntur. Quae quum ἐναίσιμα

[1]) cf Naegelsb. Hom. Theol. III. p. 127, 5.

σήματα apellentur, Jovis consilia cum αἴσῃ vel μοίρᾳ consentire colligitur; cf. Il. 2, 350 squ., ubi dicit Nestor:

φημὶ γὰρ οὖν κατανεῦσαι ὑπερμενέα Κρονίωνα
ἤματι τῷ, ὅτε νηυσὶν ἐν ὠκυπόροισιν ἔβαινον
᾿Αργεῖοι Τρώεσσι φόνον καὶ κῆρα φέροντες,
ἀστράπτων ἐπιδέξι', ἐναίσιμα σήματα φαίνων.

Dicuntur igitur Jovis fulmina a dextra parte jacta, ex quibus ejus consilium Trojae delendae cognitum est, ἐναίσιμα σήματα, quod summi dei voluntas consentit αἴσῃ vel μοίρ[illegible] i. e. quod Jupiter aequis legibus utens mundum administrat. In Il. 4, 376 squ. Tydeus narratur olim venisse Mycenas cum Polynice socios petiturus a Mycenensibus contra Thebanos; (cf. vv. 380 squ.) οἳ δ' ἔθελον δόμεναι καὶ ἐπήνεον ὡς ἐκέλευον· — ἀλλὰ Ζεὺς ἔτρεψε παραίσια σήματα φαίνων. Jovis igitur erat consilium ne Mycenenses darent auxilia ad oppugnandas Thebas; quod ut significaret, mala misit omina, quae appellantur παραίσια, quum indicent non esse aequum pro rerum ordine mittere Mycenenses auxilia.

Hinc etiam aves, quas mittit Jupiter mortalibus ad indicandam voluntatem suam, dicuntur ἐναίσιμοι, cf. Od. 2, 181 squ.; Halithersem auspicem aequalibus praestitisse legimus: ὄρνιθας γνῶναι καὶ ἐναίσιμα μυθήσασθαι (Od. 2, 159). Vaticinia vero ἐναίσιμα appellantur, quod Jovis justam voluntatem ex avium volatu Halitherses interpretatur consentientem μοίρᾳ vel αἴσῃ.

Jam Jovis vel deorum consilium et μοῖρα ita componuntur, ut, quod hoc loco appellatur μοῖρα, id alio in Διὸς νόον vel νόημα vel θεῶν βουλήν referatur; cf. Il. 7, 44 squ., ubi

῞Ελενος Πριάμοιο φίλος παῖς σύνθετο θυμῷ
βουλήν, ἥ ῥα θεοῖσιν ἐφήνδανε μητιόωσιν (cfr. vv. 38—42)

ideoque fratri suo dicit (cf. v. 52):

οὐ γάρ πώ τοι μοῖρα θανεῖν καὶ πότμον ἐπισπεῖν.
ὧς γὰρ ἐγὼ ὄπ' ἄκουσα θεῶν αἰειγενετάων.

In Il. 17, 409 Thetis narratur saepe nunciasse Achilli Jovis consilium (Διὸς μεγάλοιο νόημα), ne esset expugnaturus Ilium Achilles, sed praematuram mortem obiturus; quamobrem hic ipse dicit in Il. 18, 115 squ.:

κῆρα δ' ἐγὼ τότε δέξομαι ὁππότε κεν δή
Ζεὺς ἐθέλῃ τελέσαι ἠδ' ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι.

Xanthus autem mortem ei vaticinatur his verbis in Il. 19, 416 squ.:

ἀλλὰ σοὶ αὐτῷ
μόρσιμόν ἐστι θεῷ τε καὶ ἀνέρι ἶφι δαμῆναι·

quibuscum cf. vv. 420 squ., ubi Achilles respondet:

Ξάνθε, τί μοι θάνατον μαντεύεαι; οὐδέ τί σε χρή·
εὖ νυ τὸ οἶδα καὶ αὐτὸς ὅ μοι μόρος ἐνθάδ' ὀλέσθαι
νόσφι φίλου πατρὸς καὶ μητέρος,

et Patrocli vaticinium in Il. 23, 80 squ.:

καὶ δὲ σοὶ αὐτῷ μοῖρα, θεοῖς ἐπιείκελ' ᾿Αχιλλεῦ,
τείχει ὕπο Τρώων εὐηφενέων ἀπολέσθαι.

Scite Naegelsbachius (p. 129) inter se comparari jubet: *Il. 8, 143* squ.: ἀνὴρ δέ κεν οὔ τι Διὸς νόον εἰρύσσαιτο
οὐδὲ μάλ' ἴφθιμος, ἐπεὶ ἦ πολὺ φέρτερός ἐστιν,
(h. e. Jovis consilium nemo, ne validissimus quidem effugere potest, quum sit ille praestantior)

et *Il. 6, 488* ubi dicit Hector Andromachae:

μοῖραν δ' οὔ τινά φημι πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν,
οὐ κακόν, οὐδὲ μὲν ἐσθλόν, ἐπὴν τὰ πρῶτα γένηται.

cf. praeterea, quod dicit poëta de Patroclo:

ἦ τ' ἂν ὑπέκφυγε κῆρα κακὴν μέλανος θανάτοιο·
ἀλλ' αἰεί τε Διὸς κρείσσων νόος ἠέ περ ἀνδρῶν,
ὅς οἱ καὶ τότε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἀνῆκεν.

h. e. non potuit effugere mortem Patroclus, quam obire eum Jupiter volebat.

Ex his colligitur Jovem et ipsum, quum sit justi animi, tribuere hominibus, quod sit aequum. Jam si comparamus inter se: *Od. 20, 75* squ.:

ὃ (Ζεὺς) γάρ τ' εὖ οἶδεν ἅπαντα
μοῖράν τ' ἀμμορίην τε καταθνητῶν ἀνθρώπων[1])

et *Il. 24, 527* squ., ubi narrantur duo in Jovis domo esse dolia, alterum plenum bonorum, alterum malorum, quorum ex utroque tribuat ille hominibus suo arbitrio, colligendum est hoc: quum sentiat aeque Jupiter, aequis legibus tribuit hominibus ea, quae sint salutaria et ad administrandum et ad conservandum mundum, ab illis vero ipsis aut bona aut mala exi-

---

[1]) hoc loco μοῖρα ex sententiarum connexu amplectitur vim bonae fortunae.

stimantur. Ac saepenumero quidem legimus tribuere Jovem hominibus ὄλβον, κακότητα, κακά, μοῖραν, κακὸν μόρον; cf. Od. 6, 188 squ.:

Ζεὺς δ' αὐτὸς νέμει ὄλβον 'Ολύμπιος ἀνθρώποισιν,
ἐσθλοῖς ἠδὲ κακοῖσιν, ὅπως ἐθέλῃσι ἑκάστῳ,

Od. 15, 488:

ἀλλ' ἦ τοι σοὶ μὲν παρὰ καὶ κακῷ ἐσθλὸν ἔθηκεν Ζεύς,

Il. 6, 357: οἷσιν (Helenae et Paridi) ἐπὶ Ζεὺς θῆκε κακὸν μόρον, Od. 11, 560: τεῒν (Αἴαντι) δ' ἐπὶ μοῖραν ἔθηκεν (Ζεύς), Il. 22, 60, ubi se dicit Priamus δύσμορον, | ὅν ῥα πατὴρ Κρονίδης ἐπὶ γήραος οὐδῷ | αἴσῃ ἐν ἀργαλέῃ φθίσει.

His adnumeres eos locos, ubi Jupiter vel dii aut bona aut mala hominibus ἐπικλώθειν dicuntur: cf. Menelai verba in *Od. 4, 207* squ.:

ῥεῖα δ' ἀρίγνωτος γόνος ἀνέρος ᾧτε Κρονίων
ὄλβον ἐπικλώσῃ γαμέοντί τε γιγνομένῳ τε

cum eo, quod dicit Hecuba in *Il. 24, 209* squ.:

τῷ (Hectori) δ' ὧς ποθὶ Μοῖρα κραταιή
γιγνομένῳ ἐπένησε λίνῳ, ὅτε μιν τέκον αὐτὴ
ἀργίποδας κύνας ἆσαι, etc. (cf. Il. 20, 127 squ.)

quibuscum locis scite componit Naegelsbachius: (p. 128, 5 sub fin.) *Il. 20, 70*: ὧδέ που ἄμμιν
Ζεὺς ἐπὶ γιγνομένοισιν ἵη κακότητα βαρεῖαν.

Praeterea cf. ἐπέκλωσαν θεοὶ ὄλβον in Od. 3, 208, ἐπεκλώσαντο δ' ὄλεθρον ἀνθρώποις (sc. θεοί) in Od. 8, 579, ὧς γάρ οἱ ἐπέκλωσεν τάγε δαίμων (= Ζεύς vel θεοί) in Od. 16, 64 (cf. v. 63), τὰμὲν ἄρ που ἐπέκλωσαν θεοὶ αὐτοί in Od. 11, 139 (cf. vv. 100—137). In Od. 20, 194 Philoetius Ulixem dicit δύσμορον et jam pergit:

ἀλλὰ θεοὶ δυόωσι πολυπλάγκτους ἀνθρώπους
ὁππότε καὶ βασιλεῦσιν ἐπικλώσωνται ὀϊζύν. cf. Il. 24, 525 squ.

In *Od. 1, 17* de Ulixe legimus:

(v. 16) ἀλλ ὅτε δὴ ἔτος ἦλθε περιπλομένων ἐνιαυτῶν,
τῷ οἱ ἐπεκλώσαντο θεοὶ οἶκόνδε νέεσθαι,

quocum loco conferas *Od. 5, 113* squ. de eodem:

οὐ γάρ οἱ τῇδ' αἶσα φίλων ἀπονόσφιν ὀλέσθαι,
ἀλλ' ἔτι οἱ μοῖρ' ἐστὶ φίλους ἰδέειν καὶ ἱκέσθαι
οἶκον ἐς ὑψόροφον καὶ ἑὴν ἐς πατρίδα γαῖαν.

Altero igitur loco μοῖρα pro deorum consilio posita est; neque interesse quidquam, utrum ea, quae aut bene aut male eveniant hominibus, referantur ad μοῖραν an ad Jovem vel omnes deos, qui cum Jove consentiunt[1]), ex multis aliis exemplis colligitur; cf. Naegelsb. Hom. Theol. III, 6. p. 130 et 131 et Welck. Gr. Götterl. I, p. 187.

In *Il. 16, 844* squ. Patroclus moriens confitetur:

ἤδη νῦν, Ἕκτορ, μεγάλ' εὔχεο· σοὶ γὰρ ἔδωκεν
νίκην Ζεὺς Κρονίδης καὶ 'Απόλλων, οἵ με δάμασσαν
ῥηϊδίως (cf. vv. 687 squ. et 693) in *v. 849* autem

idem dicit:

ἀλλά με Μοῖρ' ὀλοὴ καὶ Λητοῦς ἔκτανεν υἱός,

et in *Il. 19, 410* Xanthus θεόν τε μέγαν καὶ Μοῖραν κραταιήν mortis auctores dicit.

Ex his locis colligitur Jovis consilium, quod consentit μοίρᾳ, i. e. cum legibus rerum justis, quibus utitur Jupiter in mundo administrando, esse causam Patrocli mortis. Jam vero si etiam Apollinem mortis auctorem dicit Patroclus, hic deus non suo arbitrio, sed Jovis jussu caedem ferre est intelligendus. Itaque non recte Naegelsbachius p. 138 de hoc loco et de aliis judicare videtur, qui dicit: »wo Μοῖρα καὶ θεός etwas thut, wird die Wirksamkeit des Gottes entschieden als eine untergeordnete dargestellt.« Eodem enim jure dicere possumus: si θεὸς καὶ Μοῖρα aliquid agunt, hanc dei arbitrio esse subjectam, ut in Il. 19, 410. Potius vero dii Jovis arbitrio sunt subjecti, qui aequis legibus utens reliquos deos sua consilia perficere jubet.

In *Il. 22, 5* squ. legimus:

Ἕκτορα δ' αὐτοῦ μεῖναι ὀλοιὴ Μοῖρα πέδησεν
'Ιλίου προπάροιθε πυλάων τε Σκαιάων,

in v. *297* autem Hector ipse mortem praesagiens animo dicit:

ὢ πόποι, ἦ μάλα δή με θεοὶ θάνατόνδε κάλεσσαν,

(cf. v. 379) et in vv. *300—303*:

νῦν δὲ δὴ ἐγγύθι μοι θάνατος κακός, οὐδέ τ' ἄνευθεν,
οὐδ' ἀλέη· ἦ γάρ ῥα πάλαι τό γε φίλτερον ἦεν

---

[1]) cf. p. 16.

Ζηνί τε καὶ Διὸς υἶι ἑκηβόλῳ, οἵ με πάρος γε
πρόφρονες εἰρύατο· νῦν αὖτέ με μοῖρα κιχάνει·

cum his cf. *Il. 24, 241* squ., ubi dicit Priamus:

Κρονίδης Ζεὺς ἄλγε' ἔδωκεν
παῖδ' ὀλέσαι τὸν ἄριστον (Ἕκτορα)

et Achillis verba in Il. 24, 547:

αὐτὰρ ἐπεί τοι (Priamo) πῆμα τόδ' (mortem Hectoris) ἤγαγον Οὐρανίωνες.

In Il. 12, 116 de Asio legimus:

πρόσθεν γάρ μιν Μοῖρα δυσώνυμος ἀμφεκάλυψεν
ἔγχει Ἰδομενῆος,

in v. 164 squ. autem ipse Jovem auctorem calamitatis suae suae appellat (cf. v. 173).

In Il. 21, 82 Lycaon ab Achille captus dicit:

νῦν αὖ με τεῆς ἐν χερσίν ἔθηκεν
Μοῖρ' ὀλοή

et jam pergit: μέλλω που ἀπέχθεσθαι Διὶ πατρί, — ὅς με σοὶ αὖτις ἔδωκε·

Jovis igitur iram causam esse putat, cur mortem sit obiturus; cf. vv. 46—48, ubi dicit de eodem poëta:

δυωδεκάτη δέ μιν αὖτις
χέρσὶν Ἀχιλλῆος θεὸς ἔμβαλεν, ὅς μιν ἔμελλεν
πέμψειν εἰς Ἀίδαο καὶ οὐκ ἐθέλοντα νέεσθαι,

et v. 93:

οὐ γὰρ ὀΐω
σὰς χεῖρας φεύξεσθαι, ἐπεί ῥ ἐπέλασσέ γε δαίμων.

Similiter Pandarus in Il. 5, 191 conjicit deum sibi irasci (θεός νύ τίς ἐστι κοτήεις), quod arcu suo Diomedem non possit interimere, id quod dicit κακὴν αἶσαν in v. 209.

In Il. 9, 244 squ. dicit Ulixes:

ταῦτ' αἰνῶς δέδοικα κατὰ φρένα, μή οἱ (Hectori) ἀπειλὰς
ἐκτελέσωσι θεοί, ἡμῖν δὲ δὴ αἴσιμον εἴη
φθίσθαι ἐνὶ Τροίῃ ἑκὰς Ἄργεος ἱπποβότοιο, cf. vv. 236 squ.

In Od. 24, 24 squ. Achillis umbra conjicit Agamemnonem Jovi fuisse odio, quod etiam ei ipsi πρῶτα παραστήσεσθαι ἔμελλεν Μοῖρ' ὀλοή (cf. vv. 28 et 29) et οἰκτίστῳ θανάτῳ εἵμαρτο ἁλῶναι (cf. v. 34).

Dicit enim haec:

Ἀτρείδη, περὶ μέν σε φάμεν Διὶ τερπικεραύνῳ
ἀνδρῶν ἡρώων φίλον ἔμμεναι ἤματα πάντα,

οὕνεκα πολλοῖσίν τε καὶ ἰφθίμοισι ἄνασσες
δήμῳ ἔνι Τρώων, ὅθι πάσχομεν ἄλγε' Ἀχαιοί.
ἦ τ' ἄρα καὶ σοὶ πρῶτα παραστήσεσθαι ἔμελλεν
Μοῖρ' ὀλοή, τὴν οὔ τις ἀλεύεται ὅςκε γένηται.
ὡς ὄφελες τιμῆς ἀπονήμενος, ἧς περ ἄνασσες,
δήμῳ ἔνι Τρώων θάνατου καὶ πότμον ἐπισπεῖν·
τῷ κέν τοι τύμβον μὲν ἐποίησαν Παναχαιοί,
ἠδέ κε καὶ σῷ παιδὶ μέγα κλέος ἤρα' ὀπίσσω.
νῦν δ' ἄρα σ' οἰκτίστῳ θανάτῳ εἵμαρτο ἁλῶναι.

Sententia igitur haec est: »Putabamus quidem te semper inter heroes carissimum fuisse Jovi; sed fallebamur; nam si fuisses carus Jovi, non tam turpem mortem obiisses, sed pariter atque alii heroes ante Trojam periisses; cf. v. 96, ubi dicit Agamemnon de eadem re: ἐν νόστῳ γάρ μοι Ζεὺς μήσατο λυγρὸν ὄλεθρον.

Ut hoc loco, sic aliis quoque, ut recte monet Naegelsbachius (p. 131), haec dicendi ratio: νῦν δὲ εἵμαρτο ad significandum Jovis consilium usurpatur: cf. *Od. 5, 303* squ., ubi tempestate fere oppressus Jovem calamitatis suae dicit auctorem Ulixes his verbis:

οἵοισιν νεφέεσσι περιστέφει οὐρανὸν εὐρύν
Ζεύς, ἐτάραξε δὲ πόντον, ἐπισπέρχουσι δ' ἄελλαι
παντοίων ἀνέμων· νῦν μοι σόος αἰπὺς ὄλεθρος,

cum *v. 312*: νῦν δέ με λευγαλέῳ θανάτῳ εἵμαρτο ἁλῶναι. cf. Il. 21, 281 cum vv. 273 squ.

Similis usus est verborum πέπρωται et ἔμελλε; cf. Il. 18, 328 squ., ubi Achilles de se et Patroclo queritur:

ἀλλ' οὐ Ζεὺς ἄνδρεσσι νοήματα πάντα τελευτᾷ·
ἄμφω γὰρ πέπρωται ὁμοίην γαῖαν ἐρεῦσαι
αὐτοῦ ἐνὶ Τροίῃ (cf. locos, quos supra de Achille composui, p. 20 et 21).

In Il. 3, 308 squ. Priamus de Menelao et Paride certamen inituris dicit haec:

Ζεὺς μήν που τό γε οἶδε καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι
ὁπποτέρῳ θανάτοιο τέλος πεπρωμένον ἐστιν,

h. e. Jupiter scit, cui sit moriendum, quum ipse tribuat mortem hominibus. Quamobrem preces et Achivorum et Trojanorum et Menelai ipsius fiunt Jovi, ut ulciscatur omnium ma-

lorum auctorem, cf. vv. 320—323 et 351—354 et 365—368.

In Il. 2, 35—40 legimus haec:

ὣς ἄρα φωνήσας ἀπεβήσετο· (Ὄνειρος) τὸν (Ἀγαμέμνονα) δ' ἔλιπ' αὐτοῦ
τὰ φρονέοντ' ἀνὰ θυμὸν ἅ ῥ' οὐ τελέεσθαι ἔμελλον. (Ἀχαιοί)
φῆ γὰρ ὅ γ' αἱρήσειν Πριάμου πόλιν ἤματι κείνῳ,
νήπιος, οὐδὲ τὰ ᾔδη ἅ ῥα Ζεὺς μήδετο ἔργα·
θήσειν γὰρ ἔτ' ἔμελλεν ἐπ' ἄλγεά τε στοναχάς τε
Τρωσί τε καὶ Δαναοῖσι διὰ κρατερὰς ὑσμίνας.

Sententia haec est: Putabat Agamemnon se illo die Trojam esse capturum, quo pro rerum ordine non erat aequum[1]), quum aliud Jovis esset consilium, qui, ut multos dolores paterentur et Achivi et Trojani, decreverat, priusquam Troja ipsa caperetur (cf. Il. 1, 5).

Ex his exemplis satis elucet consentire summi dei voluntatem cum legibus justis, quae ut serventur et ipse studet et ceteris diis imperat. Hinc fit, ut saepe mittantur a Jove dii, qui aut perficiant, quod sit μόρσιμον, aut impediant, quod non sit μόρσιμον (ὑπὲρ μόρον); cf. Il. 15, 612, ubi dicit poëta de Hectore: μινυνθάδιος γὰρ ἔμελλεν ἔσσεσθ' (quod est idem atque in Il. 1, 416: ἐπεί νύ τοι αἶσα μινυνθάπερ, οὔ τι μάλα δήν) et jam pergit:

ἤδη γάρ οἱ ἐπώρνυε μόρσιμον ἦμαρ
Παλλὰς Ἀθηναίη ὑπὸ Πηλεΐδαο βίηφιν.

Non recte disseruisse mihi videtur Naegelsbachius, (cf. Hom. Theol. III, 9, p. 137 squ.) qui deos, quando perficiant id, quod sit μόρσιμον, famulos et quasi instrumenta Μοίρας esse existimat. Dii enim non sunt subjecti μοίρᾳ, sed Jovi, qui summum tenet imperium et, quamvis illi interdum reluctentur, semper, ut perficiantur ea, quae velit, efficit. Jupiter vero ipse, quod est justus, justis legibus utitur, i. e. consentit μοίρᾳ. Quamobrem neque Jupiter neque ceteri dii, quando

[1]) ut dicit Apollo Patroclo in Il. 16, 707 squ.:
οὔ νύ πω αἶσα
σῷ ὑπὸ δουρὶ πόλιν πέρθαι Τρώων ἀγερώχων
οὐδ' ὑπ' Ἀχιλλῆος.

perficiant, quod fieri pro rerum ordine sit par, μοίρᾳ esse subjecti dici possunt. Sponte potius juste agit Jupiter, idemque ut faciant, ceteris diis imperat.

Quodsi Hectori ἐπώρνυε μόρσιμον ἦμαρ Παλλὰς Ἀθηναίη ὑπό Πηλεΐδαο βίηφιν (cf. Il. 22, 270 squ. et 446), Minerva Jovis jussa exsequitur, qui μοίρᾳ consentit, cf. Il. 22, 183—185.

Similiter de Sarpedone dicit Glaucus in Il. 16, 543: τὸν δ' ὑπὸ Πατρόκλῳ δάμασ' ἔγχεϊ χάλκεος Ἄρης i. e. Jove consentiente, qui juste agit; cf. vv. 433 squ., ubi dicit Jupiter ipse esse par pro rerum ordine mori Sarpedonem Patrocli manibus, cum vv. 458—461, ubi consilium capit Jupiter Sarpedonis extinguendi. Quos locos si recte inter se comparamus, jussu Jovis agere Martem intelligimus.

In Il. 20, 300 squ. Neptunus deos monet his verbis:

ἀλλ' ἄγεθ', ἡμεῖς πέρ μιν (Aeneam) ὑπὲκ θανάτου ἀγάγωμεν,
μή πως καὶ Κρονίδης κεχολώσεται, εἴ κεν Ἀχιλλεύς
τόνδε κατακτείνῃ· μόριμον δέ οἵ ἐστ' ἀλέασθαι.

Hoc loco aperte Neptunus Jovis iram dicit causam, cur moneat ceteros deos, ut servent Aeneam. Jovis igitur est consilium, ut mortem effugiat Aeneas, quod exsequi studet Neptunus. Jam si addit verba: μόριμον δέ οἵ ἐστ' ἀλέασθαι, nihil aliud vult dicere, quam consentire Jovis consilium μοίρᾳ.

In Od. 5, 28 squ. Jupiter Mercurium mittit, qui nunciet Calypsoni summi dei consilium, ut sit rediturus Ulixes in patriam suam dimittentibus Phaeacibus, et jam addit causam in vv. 41 et 42:

ὣς γάρ οἱ μοῖρ' ἐστὶ φίλους ἰδέειν καὶ ἱκέσθαι
οἶκον ἐς ὑψόροφον καὶ ἑὴν ἐς πατρίδα γαῖαν.

Facultas quidem Jovi est aut servandi aut exstinguendi Ulixem (id quod facile colligitur ex precibus Minervae Jovi factis in Od. 1, 45—62), i. e. aut juste aut injuste agendi; quum vero sit ipse justus, juste agere mavult quam injuste (cf. Od. 1, 64—67).

Itaque quum est periculum, ne quid fiat ὑπὲρ μόρον, deos succurrere videmus; cf. Il. 21, 284, ubi Achilli in vitae periculo versanti succurrunt Neptunus et Minerva his verbis utentes (cf. vv. 288 squ.):

Πηλεΐδη, μήτ' ἄρ τι λίην τρέε μήτε τι τάρβει·
τοίω γάρ τοι νῶι θεῶν ἐπιταῤῥόθω εἰμέν
Ζηνὸς ἐπαινήσαντος, ἐγώ καὶ Παλλὰς Ἀθήνη·
ὡς οὔ τοι ποταμῷ γε δαμήμεναι αἴσιμόν ἐστιν.

cf. Il. 5, 674 squ.:

οὐδ' ἄρ' Ὀδυσσῆι μεγαλήτορι μόρσιμον ἦεν
ἴφθιμον Διὸς υἱὸν ἀποκτάμεν ὀξέϊ χαλκῷ·
τῷ ῥα κατὰ πληθὺν Λυκίων τράπε θυμὸν Ἀθήνη.

Sarpedonem enim Patrocli manibus perire pro rerum ordine par erat (cf. Il. 16, 433 squ.).

Quodsi Ulixes illi caedem tulisset, ὑπὲρ μόρον mortuus esset, id quod impedit Minerva. In Il. 16, 707 squ. Apollo Patroclum, ne ὑπὲρ μόρον Trojam deleat, retinet his verbis:

χάζεο, διογενὲς Πατρόκλεες· οὔ νύ πω αἶσα
σῷ ὑπὸ δουρὶ πόλιν πέρθαι Τρώων ἀγερώχων
οὐδ' ὑπ' Ἀχιλλῆος, ὅς περ σέο πολλὸν ἀμείνων (cf. vv. 698—701).

Jam conferas eos locos, ubi perspicuis verbis pronunciatur hoc vel illud factum fore ὑπὲρ μόρον, nisi hic vel ille deus obstitisset:

In *Od. 5, 436* legimus haec:

ἔνθα κε δὴ δύστηνος ὑπὲρ μόρον ὤλετ' Ὀδυσσεύς,
εἰ μὴ ἐπιφροσύνην δῶκε γλαυκῶπις Ἀθήνη,

i. e. jam periisset miser Ulixes supra vel contra rerum justum ordinem, nisi Minerva ei succurrisset, quae non μοίρας quasi ministra, sed Jovis jussu agit, cujus consilia consentiunt μοίρᾳ; cf. Jovis verba in Od. 1, 65—67 et 76 squ. et 5, 29—42. Similiter explicandi sunt hi loci:

In *Il. 2, 155* squ. Minerva a Junone mittitur, quae impediat, quominus ὑπέρμορα redeant Achivi:

ἔνθα κεν Ἀργείοισιν ὑπέρμορα νόστος ἐτύχθη,
εἰ μὴ Ἀθηναίην Ἥρη πρὸς μῦθον ἔειπεν.

cf. *Il. 21, 515* squ.:

αὐτὰρ Ἀπόλλων Φοῖβος ἐδύσετο Ἴλιον ἱρήν·
μέμβλετο γάρ οἱ τεῖχος ἐϋδμήτοιο πόληος,
μὴ Δαναοὶ πέρσειαν ὑπὲρ μόρον ἤματι κείνῳ (cf. vv. 544 squ.)

et *Il. 17, 319* squ.:

ἔνθα κεν αὖτε Τρῶες ἀρηιφίλων ὑπ' Ἀχαιῶν
Ἴλιον εἰσανέβησαν ἀναλκείῃσι δαμέντες,

Ἀργεῖοι δέ κε κῦδος ἕλον καὶ ὑπὲρ Διὸς αἶσαν
κάρτει καὶ σθένεϊ σφετέρῳ. ἀλλ' αὐτὸς Ἀπόλλων
Αἰνείαν ὤτρυνε etc.

i. e. contra aequum Jovis rerum ordinem (i. e. contra aequum rerum ordinem, quem servat Jupiter) Ilium rejecti essent Trojani, Achivi autem gloriam sibi comparassent, nisi Apollo, qui cum Jove consentit, Aeneam, ut resisteret hostibus, incitasset.

In *Il. 20, 335* Neptunus Aeneae suadet haec:

ἀλλ' ἀναχωρῆσαι, ὅτε κεν ξυμβλήσεαι αὐτῷ (Achilli)
μὴ καὶ ὑπὲρ μοῖραν δόμον Ἄϊδος εἰσαφίκηαι.

Haec suadet deus, quum sua intersit, ut rerum justus ordo servetur; cf. vv. 300—304.

In *Il. 20, 29* squ. Jupiter quidem humano more dicit:

νῦν δ'ὅτε δὴ καὶ θυμὸν ἑταίρου χώεται αἰνῶς (Achilles),
δείδω μὴ καὶ τεῖχος ὑπὲρ μόρον ἐξαλαπάξῃ,

sed mox ipse impedit, quominus deleatur ὑπὲρ μόρον Troja ab Achille; pergit enim poëta:

ὣς ἔφατο Κρονίδης, πόλεμον δ'ἀλίαστον ἔγειρεν,

quo Achillis vehemens impetus retineretur. Praeterea huc referendi sunt omnes ii loci, ubi non aperte pronunciatur aliquid ὑπὲρ μόρον factum fore, sed hoc modo: hoc vel illud factum esset, nisi hic vel ille deus restitisset: cf. Il. 3, 373 squ.:

καί νύ κε εἴρυσσέν τε καὶ ἄσπετον ἤρατο κῦδος (Menelaus),
εἰ μὴ ἄρ' ὀξὺ νόησε Διὸς θυγάτηρ Ἀφροδίτη,
ἥ οἱ ῥῆξεν ἱμάντα βοὸς ἶφι κταμένοιο

Il. 5, 311 squ.:

καί νύ κεν ἔνθ' ἀπόλοιτο ἄναξ ἀνδρῶν Αἰνείας,
εἰ μὴ ἄρ' ὀξὺ νόησε Διὸς θυγάτηρ Ἀφροδίτη (cf. Il. 20, 302 squ.)

Permulta alia exempla affert Naegelsbachius, cf. Hom. Theol. I, 30.

Ex omnibus his exemplis apparet posse quidem aliquid fieri ὑπὲρ μόρον, deos vero, cum consentiant cum Jove, qui justis legibus regit mundum, impedire, quominus perturbetur rerum ordo.

Sunt vero duo exempla, ex quibus intelligimus deos non semper prohibere, quominus fiat aliquid ὑπὲρ μόρον. Quamobrem non recte Welcker (cf. Griech. Götterl. I. p. 192) dis-

serere mihi videtur, si dicit: »Und so ist ὑπὲρ Διὸς αἶσαν, ὑπὲρ μοῖραν, ὑπέρμορον nichts anderes, als ein hyperbolischer Ausdruck, wie zuweilen „unmenschlich,“ „unnatürlich,“ „unmässig,“ „mehr als zufällig“ und wird daher auch nicht von Gethanem oder Geschehenem gesagt, sondern bedingt von Thaten oder Gewalten, denen durch einen Gott Einhalt geschieht, mit dem Uebergange εἰ μή, ἀλλ' αὐτὸς Ἀπόλλων, oder durch eine Wendung der Sache.«

Nam si dicit poëta in Il. 16, 779 squ.:

ἦμος δ' ἠέλιος μετενίσσετο βουλυτόνδε,
καὶ τότε δή ῥ' ὑπὲρ αἶσαν Ἀχαιοὶ φέρτεροι ἦσαν,

re vera Achivi vicerunt, non »über Gebühr,« »über das Maass,« ut vertit Welcker, sed contra rerum aequum ordinem. Altero vero loco (cf. Od. 1, 32 squ.) Jupiter ipse dicit in deorum concione:

ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται·
ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι, οἳ δὲ καὶ αὐτοὶ
σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν,
ὡς καὶ νῦν Αἴγισθος ὑπὲρ μόρον Ἀτρεΐδαο
γῆμ' ἄλοχον μνηστήν, τὸν δ' ἔκτανε νοστήσαντα,
εἰδὼς αἰπὺν ὄλεθρον· ἐπεὶ πρό οἱ εἴπομεν ἡμεῖς,
Ἑρμείαν πέμψαντες, ἐΰσκοπον Ἀργειφόντην,
μήτ' αὐτὸν κτείνειν, μήτε μνάασθαι ἄκοιτιν·
ἐκ γὰρ Ὀρέσταο τίσις ἔσσεται Ἀτρεΐδαο etc.

Non consentire cum μοίρᾳ Jovis consilium ex his duobus exemplis colligendum videtur, quum non, ut aliis locis, efficiat, ut servetur rerum justus ordo. Ac primum quidem, ut recte haec res dijudicetur, quaerendum est, quibus rebus efficiatur, ut fiat aliquid ὑπὲρ μόρον.

Ex omnibus exemplis, quae attulimus, intelligimus hominum culpam esse causam, cur fieri possit aliquid ὑπὲρ μόρον. Sic in Il. 20, 29 squ. Achilles Trojae muros devastasset ὑπὲρ μόρον (nisi Jupiter impediisset) propter nimiam animi intemperantiam, qua captus naturam humanam quasi excessit, id quod pro ὕβρει existimabatur; idem statuendum est de Il. 17, 321 et 21, 516; Aeneas vero ὑπὲρ μόρον periisset (cf. Il. 20, 335 squ.) quod, si fortiori Achilli resistere esset conatus, nimis sibi esset confisus; Argivi ὑπέρμορα rediissent (cf. Il. 2, 155 squ.)

sua culpa (nisi Minerva impediisset), quod obcaecati erant nimia animi cupiditate redeundi.

Similia statuenda sunt de Od. 1, 32 squ. et Il. 16, 780. Priore enim loco Jupiter ipse causam addit, cur patiantur homines dolores ὑπὲρ μόρον, dicens:

σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν.

Duo malorum sunt fontes, alter eorum, quae pro rerum justo ordine divinitus hominibus tribuuntur, alter eorum, quae homines sua culpa sibi contrahunt contra rerum justum ordinem. Quum enim homines propter liberam animi voluntatem ex multis rebus, quascunque volunt, eligere possint, persaepe fit, ut, quum non sint integra mente praediti, quod non deceat, eligant; deinde vero, quum culpam sibi contraxerint, patiuntur mala, quae passi non essent, si justo animo essent usi, i. e. ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν, ut Aegisthus, qui, quum duxisset mulierem, quam non debebat, et interfecisset Agamemnonem contra jus fasque, ipse ὑπὲρ μόρον est interfectus ab Oreste i. e. mortem obiit, quam obire pro rerum justo ordine non debebat, nisi adulterii caedisque culpam sibi contraxisset.

Homines quidem male sapientes, quum culpa admissa ὑπὲρ μόρον mala perpetiuntur, ad μοῖραν deosque ea referre student obcaecatosque se esse ab iis affirmant, ut in Il. 19, 86 squ. Agamemnon culpam rixae inter se et Achillem ortae, quamquam ipse erat auctor, Jovi et μοίρᾳ tribuit his verbis:

ἐγὼ δ' οὐκ αἴτιός εἰμι,
ἀλλὰ Ζεὺς καὶ Μοῖρα καὶ ἠεροφοῖτις Ἐρινύς,
οἵ τέ μοι εἰν ἀγορῇ φρεσὶν ἔμβαλον ἄγριον ἄτην
ἤματι τῷ ὅτ' Ἀχιλλῆος γέρας αὐτὸς ἀπηύρων.

Nec vero ea poëtae est sententia, qui in Il. 1, 214 Minervam ipsam Agamemnonis facinus ὕβριν appellantem facit.

Similiter Elpenoris male sapientis opprobrium rejiciendum est, qui, quum ebrius vino sua culpa cervices fregisset, eam confert in αἶσαν his verbis (Od. 11, 61):

ἆσέ με δαίμονος αἶσα κακὴ καὶ ἀθέσφατος οἶνος.

Potius ὑπὲρ μόρον tum mortem obiit sua culpa. In Il. 16, 780 vero Argivi ὑπὲρ αἶσαν φέρτεροι ἦσαν, quod nimis enitebantur, ut vincerent, quo naturam humanam quasi excesserunt, id quod pro ὕβρει existimandum est.

Jam restat, ut explicemus, cur patiatur Jupiter ὑπὲρ μόρον aliquid fieri. Non recte de hac re disputasse mihi videtur Naegelsbachius (Hom. Theol. III, 12, p. 142), qui dicit: »Wir sehen, wenn ein ὑπέρ μορον geschieht, die Menschen, oder, wie in Od. 5, 436, das empörte Element Gewalt thun und ungemeine Kraft und Anstrengung entwickeln. Hinwiederum ist eine von der Moira aufgebotene Gegenkraft dem Dichter undenkbar, denn es ist die Moira nicht in einer Persönlichkeit beschlossen, ist nichts Lebendiges und kann sich demzufolge nicht wehren. Wäre die Moira mit Zeus oder dem Gesammtwillen der Götter identisch, so würde sie gegen die ringende, sich selbst überbietende Kraft des Sterblichen ihre göttliche Kraftfülle einzusetzen haben; der ankämpfenden Person würde der übermächtige Gegner nicht fehlen. Insofern sie aber dem Dichter nicht als regsame, gegen den Kühnen, der ihre Satzungen zu brechen, ihr Wesen zu vernichten droht, in die Schranken tretende Macht erscheint, fasst er sie nicht als Person, nicht als Zeus, noch als den Ausdruck des Gesammtwillens der Götterwelt, und wir sind somit auf ein unserem früheren Resultate, nach welchem die Moira mit Zeus identisch ist, direct entgegengesetztes Resultat gekommen.«

Non recte Naegelsbachius ex eo, quod non obsistat μοῖρα mortalium audaciae, concludit aliam eam esse atque Jovis voluntatem. Nam etiam dii ipsi, qui magna virium copia instructi perfacile id, quod contra divinam voluntatem impie homines perpetraturi sunt, impedire possunt, interdum admittunt hominum peccata.

Mea sententia haec est:

Prohibent quidem dii, quominus ὑπὲρ μόρον aliquid fiat, si timent, ne ordo rerum plane perturbetur, sin autem homines ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν, et Achivi ὑπὲρ αἶσαν φέρτεροι ἦσαν, colligimus deorum non semper interesse, ut hominum superbiam intemperantiamque cohibeant; concedunt potius dii hominibus, ut libera, qua sunt instructi, voluntate utantur et, quando conceperint animo injusta, perpetrent scelera. Mox vero poena subsequitur, ut Aegisthus, quod ὑπὲρ μόρον 'Ατρείδαο γῆμ' ἄλοχον μνηστήν, τὸν δ' ἔκτανε νοστήσαντα, poenam luit per Orestem. Eo vero, quod, si quid ὑπὲρ μόρον

est factum hominum superbia, poena subsequitur eum, qui culpam sibi contraxit, compensatur quasi id, quod rerum ordinem perturbavit, ut Agamemnonis caedes caede Aegisthi compensatur. Si Achivi ὑπὲρ αἶσαν φέρτεροι ἦσαν, justus rerum ordo, quem servari vult Jupiter, nimia virium intentione, quae est ὕβρις, perturbatus quidem est, sed in breve tantum tempus, quum paullo post Patroclus ab Hectore interficiatur (cf. Il. 16, 818 squ.), ita ut victoria illa, quam ὑπὲρ αἶσαν reportaverant Achivi de Trojanis, quasi compensetur caede Patrocli, quae pro clade Achivorum existimanda est.

Ex his igitur apparet Jovis voluntatem et consilium non dissentire a legibus rerum aeternis et, si quid hominum culpa fiat ὑπὲρ μόρον Jove non prohibente, id esse idem, ac si diceret poëta: peccare homines contra Jovis voluntatem et consilium.

Jam vero dii ipsi, ut reluctantur Jovis voluntati et consiliis, sic etiam, quod est ὑπὲρ μόρον, moliri tentant, ut Neptunus in Od. 5, 436 squ., quamquam non ignorat pro rerum ordine esse par Ulixem ascensa Phaeacum terra redire in patriam (cf. Od. 5, 288 squ.), efficere vult, ut pereat ille in mari. Tum vero Jove volente succurrit Minerva prohibitura, quominus pereat Ulixes.

Sed fieri potest, ut, quando aut dormit Jupiter aut animum non attendit ad res, rerum justus ordo ab aliis diis perturbetur. Nam quum sint corpore instructi dii Homerici, prout homines utuntur auribus, oculis, pedibus ceterisque membris corporisque vinculis sunt subjecti; itaque si legimus in Od. 4, 379: θεοὶ δέ τε πάντα ἴσασι et in Od. 10, 306: θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται, haec verba ita intelligenda sunt: dii sciunt et possunt ea, ad quae animum attendunt, ut Jupiter ipse pugnam Trojanorum et Achivorum spectaturus ascendit Idam montem, cf. Il. 8, 47—52 et Il. 18, 184—186, ubi dicit Iris Achilli:

Ἥρη με προέηκεν, Διὸς κυδρὴ παράκοιτις·
οὐδ' οἶδεν Κρονίδης ὑψίζυγος οὐδέ τις ἄλλος
ἀθανάτων οἳ Ὄλυμπον ἀγάννιφον ἀμφινέμονται,

cf. Il. 18, 403—405.

Ex his colligitur vigilare et animum attendere ad res Jovem necesse esse, quando velit impedire, quominus fiat aliquid ὑπὲρ μόρον. Hinc fit, ut Neptunus dormiente Jove (cf. Il. 14, 352 squ.) auxilium ferat Achivis et efficiat, ut sint Trojanis superiores, id quod contra Jovis et μοίρας consilium est factum, quum non prius rejici Trojani deberent, quam Patroclus surrexisset (cf. Il. 8, 473—477). Sed dum dormit Jupiter, nihil animadvertit regimenque rerum omittit. Experrectus vero ex somno (cf. Il. 15, 4 squ.) pristinum rerum ordinem restituit Neptunoque ex pugna remoto Apollinem excitat (cf. Il. 15, 53—77, 174—183, 221—233, 306—327), ut auxilium ferat Trojanis, qui adjuvante deo usque ad naves progrediuntur (cf. Il. 15, 696 squ.).

Restant nonnulli alii loci, ex quibus Jovis voluntatem et consilia ex μοίρας quasi arbitrio pendere colligendum videatur.

Affert Naegelsbachius ex Herodoti 1, 91 oraculum Pythiae: τὴν πεπρωμένην μοίρην ἀδύνατά ἐστιν ἀποφυγέειν καὶ θεῷ, de quo dicit p. 132: »Betrachten wir vorläufig nur die spätere Vorstellung des griechischen Alterthums, die sich zum Beispiel ausspricht bei Herodot, so scheint es undenkbar, dass die griechische Nation, die doch anerkanntermaassen mit ihrem religiösen Glauben im Dichter wurzelt, solche Vorstellung unabhängig von ihm in sich ausgebildet habe, vielmehr ist es gleich von vorne herein sehr wahrscheinlich, dass es jenem fast in dogmatischer Form ausgesprochenen Lehrsatze an Ausgangs- und Anknüpfungspunkten auch im Dichter nicht fehlen werde.«

Sed non recte ex hoc loco Naegelsbachius mihi colligere videtur pendere Jovis voluntatem ex μοίρας arbitrio. Non enim est vertendum: es ist einem Gotte selbst nicht möglich, dem bestimmten Schicksale zu entgehen, sed: es ist der Gottheit nicht möglich, die ewigen Gesetze zu übertreten; h. e. deus, quum sit justus, injuste agere non vult.

Componi potest cum hoc loco id, quod dicit Minerva in Od. 3, 326 squ.:

ἀλλ' ἦ τοι θάνατον μὲν ὁμοίιον οὐδὲ θεοί κερ
καὶ φίλῳ ἀνδρὶ δύνανται ἀλαλκέμεν, ὁππότε κεν δή
Μοῖρ' ὀλοὴ καθέλῃσι τανηλεγέος θανάτοιο.

i. e. mortem, quam pro lege naturali obire omnes sit necesse, dii, quamvis possint, nolunt depellere hominibus, quum aequis legibus administrent mundum.

Similiter explicanda sunt verba in Il. 18, 117—119:

οὐδὲ γὰρ οὐδὲ βίη Ἡρακλῆος φύγε κῆρα,
ὅς περ φίλτατος ἔσκε Διὶ Κρονίωνι ἄνακτι,
ἀλλά ἑ Μοῖρ' ἐδάμασσε καὶ ἀργαλέος χόλος Ἥρης.

Est quidem Jovi facultas eripiendi morti Herculem; sed quum sit justus, aequam naturae legem, pro qua mori mortales sit necesse, violare non vult; conferas praeterea Vulcani verba in Il. 18, 464:

εἰ γάρ μιν (Achillem) θανάτου δυσηχέος ὧδε δυναίμην
νόσφιν ἀποκρύψαι, ὅτε μιν μόρος αἰνὸς ἱκάνοι,
ὥς οἱ τεύχεα καλὰ παρέσσεται.

Dicit haec verba Vulcanus, non, quod ex μοίρας sed Jovis arbitrio pendet, qui legem naturalem servari vult.

Quapropter etiam amatissimos heroes Jupiter morti objicit, Sarpedonem et Patroclum.

Queritur vero de illo in *Il. 16, 433* squ. humano more:

ὤ μοι ἐγών, ὅτε μοι Σαρπηδόνα φίλτατον ἀνδρῶν
μοῖρ' ὑπὸ Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο δαμῆναι.
διχθὰ δέ μοι κραδίη μέμονεν φρεσὶν ὁρμαίνοντι,
ἤ μιν ζωὸν ἐόντα μάχης ἄπο δακρυοέσσης
θείω ἀναρπάζας Λυκίης ἐν πίονι δήμῳ,
ἦ ἤδη ὑπὸ χερσὶ Μενοιτιάδαο δαμάσσω.

Reputat igitur secum Jupiter, utrum obsequatur μοίρᾳ necne, unde colligitur esse facultatem ei faciendi aliquid ὑπὲρ μόρον, id quod concedit Juno in v. v. 440 squ. Monet vero haec illum, ut servet aequum rerum ordinem (cf. v. v. 442 et 443), quo permotus immittere mortem Sarpedoni statuit (cf. v. v. 458—461). Simili modo Jupiter quum haesitaret, utrum servaret, an exstingueret Hectorem, (cf. Il. 22, 174—176) a Minerva iisdem verbis monitus (cf. v. v. 178—181) mortem illi constituit (cf. v. v. 183—185). Naegelsbachii de his locis sententia haec est (p. 136): »Es zeigt sich also hierin we-

nigstens die Möglichkeit eines Einschreitens gegen den Schicksalswillen von Seiten des Zeus und in zweiter Linie der Götter. Daraus ergiebt sich nun aber weiter ein doppelter Schluss, der denn auch, sei es bewusst oder unbewusst, im homerischen Glauben vollzogen wurde. Durch Betonung dieser Vollmacht der Götter nämlich gelangt man zu dem Satze, dass alles von der Zulassung der Götter abhängt; darin aber, dass die Götter der Moira nicht gern entgegen treten, (π, 441 = χ, 179) und Zeus sie gewähren lässt, liegt hinwieder auch eine Ueberordnung der Moira, also ein anderer Wille über dem des Zeus.«

Sed si recte conclusisset, Naegelsbachius, sequeretur Jovem non nisi animi quadam imbecillitate juste agere. Potius vero libero animi motu ductus juste agit, quum ipse sit justus, et sponte utitur legibus, quas, quum mundi administrationem suscepisset, aequas esse intellexerat. Jam si reputat secum, utrum sequatur necne μοῖραν, humana in divina transferuntur. Quum enim deos sine specie humana non posset aetas illa cogitare, eaedem et corporis et animi actiones in illos transferuntur, quae hominum sunt propriae. Hinc fit, ut Jupiter, quamvis non ignoret, quid sit sibi faciendum, tamen humano more misericordia motus reputet secum, utrum servet an exstinguat heroes; cf. Il. 22, 169 squ. ubi dicit:

ἐμὸν δ' ὀλοφύρεται ἦτορ
Ἕκτορος, ὅς μοι πολλὰ βοῶν ἐπὶ μηρί' ἔκηεν etc.,

in quibus versibus pietatem Hectoris dicit causam, cur dubitet mortem ei immittere. Scite Welcker (Gr. Götterl. I, p. 191) dicit: »In der Geneigtheit des Zeus den Sarpedon, den Hektor zu retten, ist es doch natürlicher, die höchste denkbare Auszeichnung dieser Helden oder des höchsten Gottes Barmherzigkeit (μέλουσί μοι ὀλλύμενοί περ Il. 20, 21) zu sehen, als seine Resignation und Unterwerfung unter die Moira des Todes, welche eine allmächtige zu nennen eines der stärksten Missverständnisse ist. Jehovah erhört ein Gebet und nimmt einen Beschluss zurück bei Jesaias 38, 1 ff.«

Similiter explicandi sunt ii loci, ubi Jovem poëta aurea statera utentem facit. Legimus enim de Achillis et Hectoris certamine in Il. 22, 208—213:

ἀλλ' ὅτε δὴ τὸ τέταρτον ἐπὶ κρουνοὺς ἀφίκοντο,
καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα,
ἐν δ' ἐτίθη δύο κῆρε τανηλεγέος θανάτοιο,
τὴν μὲν Ἀχιλλῆος, τὴν δ' Ἕκτορος ἱπποδάμοιο,
ἕλκε δὲ μέσσα λαβών· ῥέπε δ' Ἕκτορος αἴσιμον ἦμαρ,
ᾤχετο δ' εἰς Ἀΐδαο, λίπεν δέ ἑ Φοῖβος Ἀπόλλων.

Ex v. v. 183—187 cognoscimus Jovem, priusquam prehendit trutinam, jam cepisse consilium Hectoris exstinguendi monitum a Minerva aequitatis legis (cf. v. v. 178—180). Non igitur ignorat Jupiter Hectorem mori esse aequum. Quamobrem ille dici non potest uti trutina ad indagandum μοίρας consilium, ut judicat Naegelsbachius p. 134. Potius poeta, ut justitiam Jovis, quem justum esse credit, perspicue explanet, utriusque herois, Achillis et Hectoris, vires inter se comparantem facit summum deum ita, ut trutina utentem eum inducat, in qua ponat δύο κῆρε τανηλεγέος θανάτοιο, τὴν μὲν Ἀχιλλῆος, τὴν δ' Ἕκτορος.

Ut vero lex est naturalis, ut moriantur omnes homines, alius alio modo, sic eorum, qui inter se certamen ineunt, succumbendum est ei, qui inferior est viribus; quamobrem ῥέπε δ' Ἕκτορος αἴσιμον ἦμαρ. Pendendi igitur actione nihil aliud significatur, quam Jovis justitia, quem, quod ceperat antea, consilium, quum sit certamen in summo discrimine, rursus confirmantem facit poëta hac symbolica ratione; cf. eosdem versus de certamine Achivorum et Trojanorum in Il. 8, 69 squ. Statim vero confirmato consilio (ἐπὴν κλίνῃσι τάλαντα Ζεύς) id, quod vult, perficit Jupiter; cf. Il. 19, 223 squ.:

ἄμητος δ' ὀλίγιστος, ἐπὴν κλίνῃσι τάλαντα
Ζεύς, ὅς τ' ἀνθρώπων ταμίης πολέμοιο τέτυκται.

Itaque Διὸς ἱρὰ τάλαντα significant idem, quod Διὸς νόος (νόημα) vel βουλή, ut in Il. 16, 658 Hector suos monet, ut fugiant:

γνῶ γὰρ Διὸς ἱρὰ τάλαντα; cf. v. v. 652—655.

Denique duos locos affero, ex quibus Naegelsbachius aliam deorum atque μοίρας esse voluntatem colligit:

Dicit enim in Il. 20, 125 squ. Juno de Achille, quem

ut juvent in certamine, petit a Minerva et Neptuno, (cf. vv. 115—122):

πάντες δ' Οὐλύμποιο κατήλθομεν ἀντιόωντες
τῆσδε μάχης, ἵνα μήτι μετὰ Τρώεσσι πάθησιν
σήμερον· ὕστερον αὖτε τὰ πείσεται, ἅσσα οἱ Αἶσα
γιγνομένῳ ἐπένησε λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ,

ad quae respondet Naegelsbachius p. 136: »So könnte der Dichter die Göttin nicht sprechen lassen, wenn in seiner Vorstellung der Götterwille von dem der Moira nicht unterschieden, oder wenn deren Fügung blos die des Götterköniges wäre, gegen den sich Here nach ihrem Charakter ohne weiteres erklären würde.«

Sed si orat Juno deos, ut subveniant Achilli contra Aeneam, ne quid mali patiatur, et jam pergit postea passurum eum esse, quaecunque pati eum pro rerum justo ordine sit par, sequitur illo die, quo congressurus erat Achilles cum Aenea, non aequum fuisse pro rerum ordine pati illum mala vel mortem. Quamobrem auxilium petit Juno a diis, ut, quum sit periculum, ne quid mali patiatur, prohibeant, quominus moriatur ὑπὲρ μόρον. Cum Jove igitur, qui custodit aequum rerum ordinem, consentit Juno, quum servare velit Achillem, quem magnam sibi, priusquam obiret, parere gloriam Jupiter volebat (cf. Thetidis preces Jovi factas in Il. 1, 503—510 et Jovis responsum in Il. 1, 523—527 et Il. 2, 1—4).

Similiter alter locus explicandus est; orat enim in Od. 9, 528 squ. Polyphemus Neptunum haec:

κλῦθι, Ποσείδαον γαιήοχε, κυανοχαῖτα·
εἰ ἐτεόν γε σός εἰμι, πατὴρ δ' ἐμὸς εὔχεαι εἶναι,
δὸς μὴ Ὀδυσσῆα πτολίπορθον οἴκαδ' ἱκέσθαι.
ἀλλ' εἴ οἱ μοῖρ' ἐστὶ φίλους ἰδέειν καὶ ἱκέσθαι
οἶκον ἐς ὑψόροφον καὶ ἑὴν ἐς πατρίδα γαῖαν,
ὀψὲ κακῶς ἔλθοι, ὀλέσας ἄπο πάντας ἑταίρους,
νηὸς ἐπ' ἀλλοτρίης, εὕροι δ' ἐν πήματα οἴκῳ.

Dicit Naegelsbachius de hoc loco p. 137: »Die Heimkehr kann also ganz ausserhalb der Macht des Poseidon liegen, dem dann nur ein Aufschub möglich wäre; mit andern Worten:

im Glauben des Polyphemos (d. h. des Dichters) steht Poseidon unter der Moira.«

Sed non recte disputat, quum Neptunus non ex μοίρας, sed Jovis arbitrio pendeat, cujus consilium, quod consentit μοίρᾳ, ei est observandum.

Ex omnibus igitur, quae attulimus, exemplis cognoscimus totam mundi administrationem in justis pŏsitam esse legibus, quibus Jupiter, quum ipse sit justus, sponte utatur, quasque servari a ceteris diis velit.

VITA.

Natus sum Albertus Neuman Vratislaviae a. d. IV. Cal. Dec. anni MDCCCXLII patre Alberto, matre Augusta e gente Foersterorum. Patrem praematura morte mihi ereptum jam tredecim annos lugeo, matre adhuc vivente gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Decem annos natus gymnasium St. Mariae Magdalenae Vratislaviense, quod adhuc floret rectore Schoenborno, adii. Ubi quum decem annos essem versatus, maturitatis testimonio instructus ad literarum universitatem Vratislaviensem transii interque cives Academicos receptus, a Viris Illustrissimis Stenzlero, qui tunc fasces habebat, et Frankenheimio, qui decani munere fungebatur, philosophorum ordini adscriptus sum. Inprimis scholis philologicis Haasii, Rossbachii, Hertzii, VV. Ill. qui magnum antiquitatis amorem in me excitaverunt, interfui. Praeterea scholis usus sum Branissii, Stenzleri, Caueri, Pfeifferi VV. Ill. Per duo semestria regii proseminarii philologici, quod tum florebat sub Hertzii et Luebberti auspiciis fui sodalis et initio septimi semestris in regium seminarium philologicum receptus sum, ex cujus exercitationibus, quibus praeerant Haasius et Rossbachius, per duo semestria magnum cepi fructum. Praeterea per quinque semestria societatis archaeologicae exercitationibus in museo archaeologico, quod floret Rossbachio rectore, magna cum utilitate et voluptate interfui. Omnibus his praeceptoribus Academicis de me bene meritis, gratiam, quam debeo, habeo maximam.